LUCERNAE
FICTILES
MUSEI.

VOL.
II. III.

LUCERNAE FICTILES
John MUSEI *Quicke*
PASSERII.

VOLUMEN SECUNDUM.



Io. Bapt. Passerius del. V. F. S.

SUMTIBUS
ACADEMIAE PISAURENSIS.

PISAURI; M. DCC. XLIII.
IN AEDIBUS GAVELLIIS
SUPERIORUM PERMISSU.



I. Monaboni del. V.F. Sc.

FRIDERICO
LANTIO DE RUVERE V. P.
ARCHIEPISCOPO PETRENSI
METAURENSIS PROVINCIAE
PRAESIDI

ACADEMIA PISAURENSIS.



I.M.D. V.F.S.

CErte ſerius quam oportuit, quamque in votis erat, prodit Academiae noſtrae ſumtibus Lucernarum Muſei Paſſerii volumen al-

terum. Etenim egregia Tua in nos, atque universam rempublicam merita postularent, ut quotannis ferme singula volumina propterea edenda essent, ut si quantam debemus referre neutiquam possumus, habere tamen gratiam TIBI nos quantam maximam animi nostri capere queunt, annuo hoc testimonio profiteremur. Verum non eadem in nobis facultas hoc, quantulumcumque est, observantiae nostrae argumentum exhibendi, quae TIBI prompta & expedita fuit maxima quaeque nobis praestandi. Artificum solitae morae, Typographi onera, quibus pridem se obligaverat, novum sacri juris dicundi munus, quo Passerius ipse auctus est; omnia denique

que

que ſimul conſpirare viſa ſunt, ut voluminis editio differretur quotidie, ac procraſtinaretur. Contra quantus TIBI, *&* *quam praeclarus datus eſt campus, in quo ſingularis tua, atque eximia virtus excurrere, libereque ſpatiari poſſet? Longum profecto eſſet, & fortaſſe non neceſſarium,* TIBI *certe, quae tua moderatio eſt, grave & moleſtum, commemorare laetos, uberrimoſque fructus, quos ex Tuis laboribus, vigiliiſque percepimus. Enimvero quis eſt adeo hujus Urbis hoſpes, adeo Italicarum rerum ignarus, ut neſciat, difficillimo tempore non ſolum Piſaurenſem, ſed & totius Metaurenſis Provinciae rempublicam Tua potiſſimum providentia ſte-*

tiſ-

tisse? Pervulgata enim res est, atque omnium sermone celebrata, TE splendidissimorum Ordinum animos repentino tantarum copiarum adventu perculsos, atque abjectos auctoritate & exemplo confirmasse, atque erexisse; in summa pabuli inopia, ea Pisaurensis agri conditio est, magno equitatui, maximisque sarcinariorum jumentorum gregibus, supportato undique commeatu, sapienter prospexisse; annonam ob assiduas sterilitates solito cariorem, magna frumenti vi ex Piceno reipublicae sumtibus advecta, ita tua vigilantia levasse, ut nemo eam ob caussam duplicatum fuisse populi numerum intelligeret: TE denique in omnia intentum, om-

nia


nia praecaventem populos fidei Tuae commissos virtute, assiduitate, consilio summis periculis liberasse. Quid vero? anne minus nota censenda sunt, quae gessisti, antequam bellici apparatus honestum Italiae otium perturbarent? TU ex aere multaticio Viatorum commodo consulens ad S. Claudii rivum, qua Fanester Pisaurensi agro adjungitur, pontem in usum cursus publici exstrui, alterum item pontem ad Assium vetustate corruptum, miserorumque agricolarum mortibus infamem restitui, aptarique jussisti. TU ex eodem aere Metaurensium Principum Regiam abhinc annos centum pene neglectam in pristinam faciem tam studiose diligenterque revocasti, ut si

FRAN-

FRANCISCUS MARIA I. aut GUIDO UBALDUS II. reviviſcerent, vel ex hoc uno intelligerent RUVEREUM adhuc genus durare, TIBIque una cum ſanguine auguſtae illorum ſedis caritatem pene hereditario jure obveniſſe; quod quidem, ut maxime advenarum, peregrinorumque obtutibus patet, ita potiſſimum Piſaurenſi Urbi decus maximum affert, atque ornamentum. Tantis igitur in nos benefactis, ut primum vires noſtrae paſſae ſunt, quam poſſumus, vicem referimus, Tuoque Nomine hoc etiam Secundum Fictilium Lucernarum Volumen inſcribimus; in quo ſi quid erit, quod eruditorum hominum opinioni reſpondeat, id illi a TE tamquam

bona-

bonarum artium tutela & praesidio profectum esse cognoscant. Vale.



ADDITIO
AD CATALOGUM EORUM, QUI SOCIETATI NOMEN DEDERUNT.

D. Joſeph Maria Martellius Archiepiſcopus Florentinus.

D. Laurentius Bargiacchius Florentinus.

D. Jo: Baptiſta Paſqualius pro . . . . . Gallo.

D. . . . . . Eques Hieroſolymitanus.

D. Jo: Antonius Vulpius in Patavino Athenæo eloquentiæ profeſſor.

D. Alexander Mantegazzius Eccleſiæ S. Michaelis Placentiæ Præpoſitus, Illmi & Excellmi Praeſidis Provinciae Metaurenſis a Conſiliis.

JO-



LARVAE FICTILES EX FRAGMENTIS VASCVLORVM ANTIQVORVM PISAVRI IN MVSÆO PASSERIO.

I. Menabuoni del. V.F. Scu.

JOANNIS BAPTISTAE PASSERII J. C.

PRAEFATIO.



Io·Bapt·Passerius del· pis· in· m· pass· VFS·

UAE de Lucernarum origine, atque usu scitu jucunda, aut necessaria censuimus superiori volumine praefati sumus. Sed quum plura post illius editionem aut addenda, aut corrigenda esse cognoverimus, praestat nunc ea praefationis loco hic adtexere, indicatis Tomi I. locis, quibus referenda sunt.

AD PROLEGOMENA.

Pag. V. post lineam 10.

Verum, quod mihi in votis olim fuerat, tandem hoc

11

anno 1742. Lucernam Etruſcam collectioni meae adjungere datum eſt. Nuper enim in agro Tuderte Etruſcum monumentum detectum eſt, in quo praeter Etruſca quaedam numiſmata, & cornu potorium, quod in *Acherontico* meo deſcripſi, atque illuſtravi, pluraque alia vaſa fictilia ejuſdem plane, quo cetera Etruſca, opificii, ex argilla nempe ſubrubra, nigro encauſto obducta, Lucerna etiam ejuſdem materiae atque operis inventa eſt. Ea profecto Romanas omnes Lucernas quotquot viderim antiquitate antecellit; non enim typo, ut Romanae poſtea, excuſa eſt, ſed currente rota ducta; eademque argillae pars, quae in craterem ſinuata fuerat, compreſſo pollice concluſa eſt; inde integri operis venter prodiit, aptato dumtaxat naſo, atque manubrio. Propterea illam incidi in aes curavimus, rati haud ingratum fore iis, qui Etruſca monumenta amant, primam ejus gentis Lucernam conſpicere. *Tab. Praef. n.* I.

Pag. VIII. lin. 33.


Quibus reſpondent ceriolaria, ut veteris Inſcriptionis verbo utar, quae deſcripſit Lucretius Lib. II. v. 24.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per aedes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Pag. IX. lin. 25.

Alterum fictilis laternae operculum, perforatum, ut aer permearet, fumoque foedatum nuper Roma ad me miſſum eſt; cujus etiam imaginem damus *ead. tab. n.* II. Fictili laternae in villa Cavaleria erutae, atque a Bartolo vulgatae *Sepol. Ant.* tab. XXIV. non parum lucis operculum noſtrum afferet.

Inter Lucernarum acceſſoria candelabrum dumtaxat memoravimus; verum tripodes etiam inter illa accenſendos eſſe docuit nos Lucerna, quae plumbeo tripodi impoſita hoc eodem anno 1742. in agro Firmano reperta eſt. Tripodem ab amico mihi cum Lucerna dono datum excudendum curavi *ead. tab.* n. III., ne quid in hac re praeter-



Jo: Bapta Passerius del: | V. F. Scu

termiſſum eſſe videretur ad Lucernariae rei cognitionem. Candelabri vicem humilis tripus praeſtabat, ut ſepulcralis ignis religio ferculi dignitate quoquo modo attolleretur, neque humentem terram vividum illud, ac caeleſte elementum contingeret. An vero univerſorum Picentium commune id inſtitutum fuerit, viderint Eruditi Viri, quorum ſtudio florentiſſima illa provincia nobilitatur.

Pag. XV. lin. 10.

Deleatur Plinii textus, atque ita reſtituatur locus. Praeter fictiles Lucernas, marmoreas etiam in uſu fuiſſe dicendum erit; ſi quae in nonnullis Muſeis oſtenduntur antiquae ſunt; neque enim ſatis fidendum puto illis, quas Licetus vulgavit, neque item alteri marmoreae a P. Scarfò productae in ſuis *Opuſc. Erud.* Marmoreum tamen candelabrum, ſemipedale, in columelle modum exciſum, cujus terna latera tribus variis Dianae aſpectibus excultum eſt, edito jam I. Lucernarum Tomo Muſeo noſtro acceſſit.

Pag. XVII. lin. 29.

Deleantur verba, dictum etiam Lychnitem &c. *cum duabus lineis ſequentibus.*

Pag. ead. lin. 33.

Deleantur verba λαμπαδουχος ημερα.

Pag. XXIII. lin. 31.

Poſt verba, ſemperque ſacrum *adde*. Quod etiam indicavit Plutarchus *Quaeſt. Roman.* LXXIV. *Cur lychnum non extinguebant, ſed per ſe langueſcere & deficere permittebant? an quaſi inextinguibilis illius ignis, & immortalis cognatum, & affinem colentes?*

AD NOTAS.

Pag. III. lin. 5.

Adde. Lucianus Dialogo *de Sacrif. At ſi quis pauper his*

(vi-

(victimis) *ita Deo litat , ut dexteram dumtaxat ſuam exoſculetur* . Qui quidem adorandi mos antiquiſſimus , & Moſi ipſi coaevus exiſtimandus eſt , quum inter hominum ſtultitias & impietates recenſeatur, *Job.* XXXI. 26. *Si vidi ſolem quum fulgeret , & Lunam incedentem clare , & laetatum eſt in abſcondito cor meum , & oſculatus ſum manum meam ore meo , quae eſt iniquitas maxima , & negatio contra Deum altiſſimum* .

Pag. 4. lin. 32.

Neque vero in ſacris Cybeles tantum duas aras appoſitas fuiſſe exiſtimandum eſt ; ſed & in aliorum etiam quorumdam Deorum ; hinc Virgilius *eclog.* V.

. . . . . . en quatuor aras,
Ecce duas tibi , Daphni , duoque altaria Phoebo.

& Plutarchus *Quaeſt. Rom.* 59. *Quare quum duae ſint arae Herculis , mulieres nihil guſtant de his , quae in earum altera immolantur ?*

Pag. 9. lin. 18.

Adde . Profecto ad illud ſingulare cimelium illuſtrandum conferre maxime videtur Symmachi locus Lib. X. *Epiſt.* 35. ſtrenas Imperatoribus mitti ſolitas memorans *: merito Vobis ſolemnes pateras cum quinis ſolidis , ut Numinibus integritatis , offerimus*:

Pag. 10. lin. 1.

Poſt iterare *adde* . Quod etiam plurimis Lucernis nuper Roma ad me delatis confirmari poteſt ; in his enim recurrunt frequenter iidem typi , variata tamen Lucernae forma , & ornamentis , & , quod notandum magis eſt , figlinae ſubſcriptione .

Pag. ead. lin. 8.

Poſt continentur *adde* . Eadem fauſta precatio non infrequenter in hiſce fictilibus , quae eo tempore viciſſim inter amicos miſſitari ſolebant , invenitur . Audiendus Fabrettus *Inſcr. Dom.* cap. VII. n. 5.

AN-

ANNV
NOVVM
FAVSTV
FELICE
TIR

In Lucernae, vel calicis fictilis fundo hanc precationem inveneram, cum & aliam in simili orbiculo, totidemque versibus

ANNVM NOVVM FAVSTVM
FELICEM MIHIC

ex suo Museo ostendit V. Cl. Philippus Bonarrotius; unde non fortuito, sed veluti ex more talia munuscula bene ominata vel Saturnalibus, vel strenae loco ineunte anno praeparari conjecimus. Huc usque Fabrettus. Alium item superioribus haud absimilem orbiculum in Museo olim Cl. Gervasonii observavit saepius Cl. Oliverius meus.

Pag. 11. lin. 5.

Adde. Lauri praeterea folia inter bellaria habita fuisse docet Callias, sive Diocles in *Cyclopibus* apud Athenaeum Lib. IV. p. m. 140. inde docemur ne minutiora quidem harum Lucernarum emblemata absque ratione irrepsisse. Sed rem omnem penitus illustrat Symmachus in paulo ante laudata *epist.* 35. lib. X. *Ab exortu pene Urbis Martiae strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuae anni novi auspices primus accepit. Nomen indicio est viris strenuis haec convenire ad virtutem.*

Pag. 18. lin. 19.

Deleantur verba Matris enim nomen minime &c. *cum duabus sequentibus lineis*. Nam etiam Dianam *Matrem* dictam vidi postea apud Giraldum *Syntag. Deor.* p. m. 333. & apud Boxhornium ad quaest. LXXIII. Plutarchi.

Pag. 18. post lin. 31.

Quam vero supra firmavimus inter duas Vestas distinctionem

nem, vix putabam evidenti antiquo aliquo testimonio firmari posse, ac propterea ex pluribus Scriptorum locis colligere illam adnisus sum, sed Fratrum Arvalium fragmenta quaedam a Turrio vulgata *Ant. Antii.* ita rem in aperto ponunt, ut de industria inscripta fuisse videri possint. In illis enim recitatis plurium Deorum nominibus, quibus victimae voventur, additur VESTAE OVES II. VESTAE MATRI OVES II.

Pag. 20. lin. 1.

Adde post adscribendam duximus; nam praeter quam quod ipsa Deorum omnium prima esset, ut Virgilius docet *Aen.* VII.

> ..... *Geniumque loci, primamque Deorum*
> *Tellurem*


virtutes etiam illorum omnium &c.

Pag. 21.

In principio notae adde. Septem Planetarum capita uni navigio imposita praeeunte Saturno vulgavit ex veteri gemma Montefalconius *Supplem. Ant.* Tom. 1. tab. 13. n. 1. in quo quidem emblemate jure merito Saturno principatus tribuitur; ejus enim sphoera, ut notat Macrobius *in Somn. Scip.* Lib. 1. c. 19. ex septem, quae caelum ambiunt, prima est. In hac vero Lucerna septem Planetarum capita &c.

Pag. 23. lin. 28.

Post appellantur *adde*. Inversis item literis aliud sigillum figulinae Pisaurensis in minimo laterculo, ex his, quibus pavimentorum spinae conficiebantur, nuperrime ad me delatum est; cujus imaginem hic damus.



Officina nempe VAleria SECVnda; erat enim in agro Pisaurensi altera Valeriorum officina operis doliaris majoris

ex

ex qua ingentes ollae prodibant, ac ubique obviae tegulae his literis inſcriptae: VALERIAE MAGNAE ERIDIAN. His reſpondent duo alia figlinarum ſigilla literis inverſo ordine ſcriptis apud Fabrettum *Inſcr.* Cap. VII. n. 8. & 159.

Pag. 33. lin. 25.

Poſt rapraeſentari exiſtimo *adde*. Atque ipſam Jovis Victoris imaginem, qui peculiaria ſacra, templumque hoc cognomine obtinuit. Ovidius *Faſtor.* IV.

Occupat Apriles idus cognomine Victor
Juppiter, hac illi ſunt data templa die.

Quod anno Urbis CDLIII. factum eſt Fabio Coſ; ut tradit Livius. Hujus autem in Lucernis vulgaris typi frequentia monet nos hanc Jovis imaginem peculiari veneratione cultam fuiſſe; inde ſuſpicamur has Lucernas ad Victoris Jovis feſta celebranda inſerviſſe.

Pag. 43. poſt lin. 26.

Neque vero, quo minus Diis Inferis in ea Lucerna ſacrificium exhiberi exiſtimemus, facit Sacerdos Gabino ritu cinctus; nam, niſi valde fallor, ibi repraeſentatur Imperator, qui memoriae aeternae Patris, vel Praeceſſoris ſui inter Divos relati ſacra facit; quibus in ſacrificiis Gabinum cinctum adhibitum fuiſſe ſolide demonſtrat Noriſius *Cenot. Piſ.* diſ. III. Atque ita aedificium, quod pone tibicinem viſitur, ſepulcrum, ſive mavis templum defuncti Principis credi poterit. Accedit inſuper, ut in hoc ſacrificii typo inferias agnoſcamus, quod juvencorum mactatorum jugulum inferne converſum eſt; in Deorum enim caeleſtium ſacris victimas ita procumbere religio poſtulabat, ut vulnera illarum Caelo obverſa eſſent.

Pag. 47. poſt lin. 13.

Obſervanda praecipue eſt forma ſtolae, quae peculiari quodam, neque obvio ritu demiſſa eſt. Similem prorſus veſtem Tellus Dea habet in anaglypho apud Fabrettum *ad Tabul. Iliac.*

Pag. 53. poſt lin. 21.

Verum aliam etiam ob cauſſam a Virgilio in Inferni aditu monſtra illa poſita fuiſſe exiſtimandum eſt; immortali enim anima praedita ea crediderunt Veteres, quae, monſtro interfecto, ad inferos migraret. Inde Theocritus in *Herc. Leonic.* Nemeaei Leonis ab Hercule occiſi animam illuc conceſſiſſe ſcribit: *Animam autem ingentem excepit Infernus.*

Pag. 57. poſt lin. 3.

Palladis ortum admirabundus ſpectat juvenis, bipenni reclinatae, qua Jovis caput novo ſane obteſtricandi modo disjecerat, incumbens. Id officium praeſtitiſſe Jovi Mercurium putant Eruditi, quos inter Cl. Bonarotius *Diſſert. in Dempſt.* §. 2. Magis tamen arridet mihi illorum ſententia, qui partes has Vulcano adſcribunt. Pindarus *Olymp.* od. 7.

Quando Vulcani arte
Ex aere ducta bipenni
Minerva vertice ex ſupremo Patris
Proſiliens vociferata eſt,
Ingenti clamore
Caelum autem horruit ipſa & Terra parens.

Apollodorus *Bibl.* lib. I. *Ubi vero pariendi tempus advenit, Prometheus, ſive, ut alii tradunt, Vulcanus, ejus caput ſecuri percuſſit, deque illius vertice ſecus Tritonem amnem armata Pallas exilivit.*

Pag. 57. lin. 13.

Potuit etiam alia de cauſſa exprimi Triton in Palladis galea; quum enim in Gigantomachia primas illa egiſſet, inque eo praelio Triton buccinam inflans, immanemque ſonum edens Gigantes immanem aliquam belluam ratos fugaſſet, atque ita facilem Diis victoriam paraſſet, recte potiſſimum tantae Victoriae adjumentum Palladis capiti impoſitum fuit. Quod etiam in cauſſa fuit cur Jovi Triton jungeretur.

Pag.

Pag. 61. lin. 36.

Pausaniae aetate quaedam ex antiquissimis illis simulacris adhuc supererant *in Arcad. In colle Neptuni templum cum quadrato signo*.

Pag. 68. in pr.

Cupidinem, abjecto arcu & sagittis, liram tenentem describit Pausanias *in Corinth.* Eumdem typum in hac Lucerna recurrere existimabunt ii fortasse, qui omnia Geniorum officia ad unum Cupidinem transtulerunt. Nos vero, qui Genios Deorum administros probe novimus, quum nec arcus appareat, nec sagittae, Apollinis Genio Lucernam hanc adscribimus.

Pag. 70. lin. 20.

Deleantur verba Claudii cognomento Gothici, *atque ita restituatur locus*; ibi enim magnificam olim, ingentemque C. Vibii Triboniani Galli Augusti liberti villam extitisse compertum est.

Pag. 79. post lin. 2.

Veterum testimonia, ne cui forte pauca videantur, confirmari poterunt ex Diodoro Siculo lib. I. Plutarcho *quaest. Rom.* LXXVI. Martiano Capella lib. II. aliisque a Vossio relatis *De orig. Idol.* lib. II. c. 2. Deorum enim, Dearumque nomina, quod fusius in *Roncalliensibus* meis pertractavi, quibus vulgo utebantur, haudquaquam existimanda sunt propria illorum nomina; nam ea penitior religio occultabat: sed cognomina, atque epitetha ex attributis desumpta, quae quum pluribus convenirent, pluribus etiam tribuebantur. Exemplis ibidem allatis addi potest etiam Themidem a Nonno *Dionys.* lib. XLI. v. 163. *Ilithyiam*, nempe Lucinam, appellatam fuisse; quamobrem plures Ilithyias in Sybillinis indicabantur.

Tum Ilithyias placanto
Puerperas, ut fas est.

Pi-

Ad Praeclarissimum Virum

JOANNEM BAPTISTAM PASSERIUM

De LUCERNIS FICTILIBUS eruditissime scribentem.

QUas olim dederat Mareotica Terra Lucernas,
Has reddit largo fenore Passerius.

Niliacae lucent per muta silentia noctis:
Luce pari lucent nocte dieque suae:

Illae extinguntur subito, si desit olivum;
His, semper desit, flamma perennis erit.

I sequere, & mentis da pignora clara Joannes;
Aemula Phoebeae pignora lucis erunt.

Haec ubi praestiteris, Phoebo mirante, nitescet
Luce nova, & radiis Orbis uterque novis.

Ignatius Maria Comus.

IN-

INDEX TABULARUM.

Caput Herculis I.
Hercules in laurea II.
Herculis expiatio III.
Hercules ad Aram maximam IV.
Herculis Sacrificium adſtante Victoria V.
Hercules Muſagetes VI.
Hercules , & Minerva VII.
Hermathena , Hermeracles VIII.
Herculis tropaeum IX.
Genius Herculis λεοντοφονεος X.
Genius Herculis ſacrificans XI.
Sigillum Herculis fictile XII.
Protome Veneris XIII.
Protome Veneris Anadyomenes XIV.
Venus ex Balneo prodiens XV.
Veneris ſimulacrum fictile XVI.
Judicium Paridis XVII.
Veneris ſymbola XVIII. & XIX.
Cupido & Pſyches XX.
Cupidinis expiatio XXI.
Caput Martis XXII.
Mars Gradivus XXIII.
Genius Martis XXIV.
Martis ſymbola XXV.
Genius Exercitus XXVI.
Chartaginis ſymbola XXVII.
Eques XXVIII.
Arietarius XXIX.
Centurio XXX.
Rudiarius XXXI.
Milites XXXII. XXXIII.
Vulcanus XXXIV.
Cyclopes XXXV.
Bacchi Protomes XXXVI.
Bacchus Corniger XXXVII.
Bacchi biga a Centauris acta XXXVIII.
Bacchus Ακρατοφορος XXXIX.
Bacchus dolio inſidens XL.
Genius Bacchi XLI.
Dea Libera XLII.
Lena XLIII.
Baccha Tympaniſtria XLIV.
Bacchi pompa XLV.
Sileni XLVI. XLVII.

Fauni XLVIII. XLIX.
Tropaeum Bacchi L.
Oscilla Bacchica LI. LII.
Larvae LIII. LIV. LV. LVI. LVII.
Pomona LVIII. LIX.
Priapus LX. LIX.
Terminalia LXII.
Genius Domesticus LXIII. LXIV.
Comus LXV.
Fortuna LXVI.
Fortuna stans LXVII.
Serpens LXVIII.
Aesculapius , Hygia , Telesphorus LXIX.
Salus in lectulo jacens LXX.
Salus jacens cum serpente LXXI.
Salus super pedis figuram reclinata LXXII.
Salutis antathemata pedes Votivi LXXIII.
Candelabrum Victoriae LXXIV.
Victoria gradiens cum palma & corona LXXV. LXXVI.
Victoria globo insistens LXXVII.
Victoria cum symbolis LXXVIII.
Victoria inter captivos LXXIX.
Victoria Trajani LXXX.
Victoriae cum clypeo LXXXI. LXXXII.
Victoria in corona querna LXXXIII.
Victoriae lauream sustinentes LXXXIV.
Victoriae candelabrum coronantes LXXXV.
Victoriae tropaeum statuentes LXXXVI.
Victoriae thus adolentes LXXXVII.
Victoriae in Zophoro Vitreo LXXXVIII.
Tropaeum LXXXIX.
Lucernae triumphales XC.
Homerus cum Musa XCI.
Protomes trium Poetarum XCII.
Graecorum ex classe descensus XCIII.
Graecus ex biga pugnans XCIV.
Heros cum nimbo in biga XCV.
Graeci, & Trojani pugnantes XCVI.
Penthesilea deficiens XCVII.
Diomedes & Ulysses de Palladio disceptantes XCVIII.
Heros Palladi sacrificans XCIX.
Ulysses ventos includens C.
Orestes furiis agitatus CI.
Thesei cum Euryto pugna CII.
Heros cum milite disserens CIII.
Oedipus cum Sphinge CIV.

FINIS.


TABULA PRIMA.



I


I. Menabuonj del.

V. Franceschinj Sc.



I. Menabuoni del. V. Franceschini Sculp.


III



I·Menabuonj del. V·Franceschinj Scu.




I. Menabuonj del. V. Franceschinj Scu.




I·Menabuonj del. V· Franceschinj Sculp.




I. Menabuonj del. *V. Franceschinj Scu.*




I. Menabuony del.   V. F. Sc.




I. Menabuonj del. *V. Franceschinj Scu.*




I·Menabuoni del. V·F· Scu




I·Morabuonj del. V·Fr·Scu.




J. Monabuonj. del. C. Faucci. sc.




Ios. Menab. del. | *P. sc.*



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



J. Menabuoni del. C. Faucci sc.




Iosaph Menabuoni del. P. A. Pazzi sc.



J. Mendouny del. *C. Faucci f.*




Joseph Menabuoni del. *C. Gregori sculp.*




I·Menabuonj del. V·F Scu-


XVIIII.



J. Menabuonj. del. C. Faucci. Sc.




I. Menabuonj del. C. Faucci sc.



J. Menabuonj. del. C. Faucj. Sc.



J. Menabuonj del *C. Faucci Sc.*




I. Menabuoni del. V. F. Sc.




J. Morabuoni del


C. Faucy Sc



J. Menabuonj del. C. Fauoj sculp.



J. Menabuoni del. C. Gregori sc.




I. Menabuonj del. et Scu.



F. Monabuoni del. C. Fawcy sc.




I·Menabuonj del· V·F· Scu




J. Menabuonj del: C. Gregorj sculp.







I·Menabuoni del.   V·Fr·Sc.




J. Menabuonj del. C. Faucci sc.




J. Menabuoni del. *C. Faucci sc.*



Ioseph Menabuonj del. *Carol. Faucc. Sculp.*




J. Menabuoni del. C. Faucci sc.




J. Menabuonj del. C. Fauci sc.



J. Menabuoni del. *C. Faucci sc.*



I·Menabuonj del. V·F· Scu.



I·Menabuonj· del.

V·F·Sc.

XL.




J. Menabuonj. del.

C. Gregorj. sc.

XLI.




J. Menabuoni del. C. Fucci Sc.



J. Menabuoni del. *C. Gregori sculp.*


XLIII



I·Menabuoni del. V·F·Scu.



I. Menabuonj del. V·F· Scu.




I·Menabuonj del. Vi F Scu

XLVI.



J. Menabuoni del. C. Faucci sc.



J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.




J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.

XLIX.




J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



I·Menabuonj del·   V·F·Sc.


LI.



J. Menabuoni del. C. Faucci sculp.



I. Menabuoni del. V. F. Sc.



I. Menabuoni del. C. Faucci sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



I·Menabuonj del.　　　　V°. F Scu.




I·Menabuonj del.　　　　V·F· Scu.




J. Menabuonj del. *C. Faucci Sc.*




I. I. Ignatnonj del.　　　　V F. Scu.



J. Menabuonj. del. *C. Faucci. sc.*



J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.



I. Menabuonj del. V. F. Scu.



J. Menabuonj del. — *C. Faucci sc.*




I·Menabuonj del.   V·F·Scu


LXIIII




J. Menabuonj. del. C. Fauccj. Sc.



I. Menabuoni del. C. Faucci sc.



I. Menaduorj Deli.   Vi F. Scu.



J. Menabuonj del. C. Faucci Sculp.



J. Menabuoni del. *C. Faucci sc.*



Ios. Menabuonj del. et Sculp.

LXX.



I. Menabuoni del. V. F. Sc.

LXXI.




I. Menabuoni del. V.º Franceschini Sc.

LXXII.



J. Menabuonj del.


C. Faucci sc.



J. Menabuonj del. C. Faucci Sculp.



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




J. Menabuonj del. C. Faucej sc.



I·Menabuonj del·

V· F· Scu.



Joseph Menabuoni del. — *P. A. Pazzi sc.*



J. Menabuonj del. C. Fauccj Sc.



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




Ioseph Menabuoni delin. e sc.



I· Menabuonj del·


V· F· Scu



J. Menabuonj del.   C. Fauci sc.




J. Menabuonj del. C. Faucej Sc.




I. Menabuoni del.

V. F. Scu.

LXXXV.



J. Menabuonj del. C. Faucci Sculp.



I. Menabuonj del. V. F. Scu.




J. Menabuoni del. *C. Faucci Sc.*


LXXXVIII



Joseph Menabuoni del.　　　　ANAGLIPHVM EX VITRO LONGITVDINIS PALM DVORVM　　　　C. Faucci sculp.




J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.


XCI


XCII.



J. Menabuoni del.   C. Faucci Sc.



I. M nchuoni. del. V. F. Scu




I. Menabuonj del. Vº. F. Scu.

XCV



EX MARMORE ALT. PED. III.


Ioseph Menabuoni del — *P. A. Pazzi sc.*




J. Menabuoni del.   C. Faucci Sc.




F. Menabuoni del. V. Z. Scu.



J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.




J. Menabuonj del. C. Gregorj Sculp.




I. Meno Luoy del. V. F. Scu.



I Menaduorj del. Vi F. Scu




I Monalbuoni del. Vi Franceschini Scu



I·Menabuonj· del·

V·Franceschinj Sta.



I. Menabuoni del. V. F. Sc.

JOANNIS BAPTISTAE
PASSERII J. C.
IN VETERES LUCERNAS
NOTAE.

I.

CAPUT HERCULIS.

HERCULIS Caput duplici gemmato diademate redimitum, quod ex hac Lucerna depromimus, in vetuſtis Monumentis hactenus vulgatis nondum, quod ſciam, viſum fuit. Profecto non unam ob cauſsam Veteres hoc Herculi ornamentum tribuere. Herculem enim coronari par erat, non modo, quia *coronae*, teſte Plinio Lib. XXI. 3. *Deorum honos erant*, verum etiam, quod Rex ille fuiſſet. Hinc Homerus in ejus hymno:

Salve Rex Jovis fili.

Praeterea, quod Athletarum praeſes, imo clariſſimorum certaminum auctor audiret: denique quod interdum *Triumphalis* appellatus ſit, ejuſque ſimulacrum *per triumphos habitu triumphali* veſtiretur; uti Plinius idem tradit lib. XXXIV. 7.

Gemmatas coronas Diis attributas memorant frequenter Scriptores, quos inter Tertullianus de Coron. cap. 13. *Hoc vocabulum eſt coronarum quas gemmis, & foliis ex auro quercinis ob Jovem inſignes ad deducendas Thenſas, cum palmatis togis ſumunt*: more utique a Graecis petito, qui gemmatas coronas, ſeu diademata Deorum capitibus imponebant, uti ex Pauſania conſtat. Huc ſpectaſſe Imperatorem Commodum conjici poteſt, qui Herculem referre affectans, theatrum ingreſſus *corona aurea illuminata gemmis Indicis* utebatur, Dione teſte lib. 72.

Oſcilla duo fictilia intus vacua perforatis oculis, atque buccis, ultimam rudi opere antiquitatem redolentia, & ad

prototypi magnitudinem expreſſa ſubjecimus; quippe quorum inſtitutio Herculi adſignatur, qui quum Italos foedo humanae victimae ſacrificio in Saturni honorem, pollui magis, quam expiari animadvertiſſet, inſtituit, ut hominum ſimulacra pro hominibus ipſis offerrentur, uti refert Macrobius lib. 1. cap. 7. *Herculem ferunt .... ſuaſiſſe, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent; inferentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata*, & cap. XI. *Pelaſgos poſtquam felicior interpretatio capita non viventium, ſed fictilia, & φωτος aeſtimationem, non ſolum hominem, ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet, coepiſſe Saturno cereos potius accendere: & in ſacellum Ditis arae Saturni cohaerens oſcilla quaedam pro ſuis capitibus ferre; ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur: quae homines pro ſe, atque ſuis piaculum pro Dite Saturno facerent.*

Haec autem oſcilla, ut de illorum quoque uſu paucis diſſeram, ſive fictilia fuerint, ut noſtra, ſive ex alia quacunque materia, ad hominum expiationem pertinuiſſe arbitror. Solebant enim veteres ſacris arboribus oſcilla ſuſpendere, quam quidem caerimoniam reſpexiſſe videtur Virgilius Georg. II. v. 389. dum ait:

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia Pinu.

In quem locum haec tradit Servius: *Inde inventum eſt, ut formas ad ſui oris ſimilitudinem facerent, & eas pro ſe ſuſpenſas moverent.* Tria enim poenarum genera, quibus apud inferos hominum crimina puniebantur pari expiationum numero tolli poſſe inter vivos tradiderunt. Siquidem tria animabus crimini obnoxiis ſupplicia imminere autumabant; nempe, per ignem, aerem, atque aquam; quae ſcite, ut ſemper, his verſibus complexus eſt Virgilius Aeneid. VI. v. 739.

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Quibus quidem cruciatibus avertendis totidem purgationes adinventae ſunt; per taedas ſcilicet, & ſulphur; per ablu-

blutionem; demum per ventilationem; nempe iisdem elementis adhibitis ad vivos homines scelere exsolvendos, quibus mortui cruciari debuissent.

I I.

HERCULES IN LAUREA.

ELegantissimi operis Lucernam commendat Hercules stans. Discum ambit laurea corolla ex manubrio hinc inde descendens. Multas quidem arbores Herculi sacras persuasum habuit vetustas, quas inter esculum, albam populum, & cerrum: sed has peregrina superstitio illi consecravit, laurum vero Latina. Quum enim Caci caede Pallantium liberasset, Aborigenes, & Arcades loci incolae *pauperes ramos lauri decerpentes, quae multa eo loco nascitur, illumque & se ipsos coronaverant*; uti memoriae prodidit Dionys. Halic. lib. I. Quare Macrobius lib. III. cap. 12. morem obtinuisse memorat ut *ad aram maximam sola lauro capita, & alia fronde non vinciant. Videmus & in capite Praetoris Urbani lauream coronam, cum rem divinam Herculi facit.*

I I I.

HERCULIS EXPIATIO.

HErcules inter aras consistens sui expiationem aggredi videtur. Nondum ille sacrificat: vix enim credo in veterum monumentis inveniri nudos sacrificantes; nisi forte Genios Deorum administros. Collumellae instat Deae simulacrum; at cujus sit, affirmare non ausim, ex rudi praesertim notae opificio, ubi minutiora non admodum solerter efficta cernuntur. Si vero in obscuris conjecturae locus, haec, qualiscumque sit, eruditis viris nequaquam, ni fallor, improbabitur. Parva illa imagine Cererem significari opinor; cui maxime proprium est calathi attributum, quem capite gestat. Calathus enim sol-

lemni curru, & pompa in ejus honorem geſtari ſolebat in ipſius Deae feſtis, quae Graecis Θεσμοφορια appellantur, quemadmodum ex Callimacho in illius Hymno, & Ariſtophane in *Theſmoph.* colligitur. Hinc & eadem Ceres cum calatho in nummo Salonianae Auguſtae, & in alio Sardianorum obſervatur apud Ezechielem Spanhem. *de Veſta*.

Arulis hinc aquae urceus imponitur, inde ignis ardens, non tantum ſymbola, ſed & inſtrumenta, quibus duplex expiationis genus perficiebatur, uti ex Servio demonſtravimus. Nudus autem hic repraeſentatur Hercules, qualem ex lavacro credendum eſt, ut rite ſacra perageret, aſcendiſſe. Hunc lavandi corporis morem, antequam ſacra inirentur, paſſim teſtati ſunt Scriptores. Plautus Aulul. Act. III. Sc. 6. v. 43.

Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacruficem.

Et Liv. lib. I. Romanos ita Sabino homini ſuccenſentes inducit. *Quidnam tu hoſpes paras? inceſte ſacrificium Dianae facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine? infima valle perfluit Tiberis.* Praeſertim vero qui alicujus caedis conſcius ſibi eſſet, neque contrectare Deorum ſimulacra potuiſſe crediderunt, niſi lotione corporis animi maculam expurgaſſet; ita Virg. Aeneid. lib. II. v. 722.

Tu, genitor, cape ſacra manu, patrioſque Penates:
Me bello e tanto digreſſum, & caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quod ridet Arnobius lib. VII. & Lactantius Firmianus, *de falſ. Relig.* lib. V. Imo ipſe ex ethnicis Ovidius:

O nimium faciles, qui triſtia crimina caedis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Saepe Herculem caedibus expiatum accepimus, atque has quidem illius expiationes frequenter in vetuſtis anaglyphis occurrunt; inter quae memoranda in primis celeberrima Farneſiana Tabula, quam Cl. Gorius inter Marmora Doniana iterum publici juris fecit. At vero expiatio illa, quam in hac Lucerna parat Hercules, ea, ni fallor, eſt, qua ad inferos deſcenſurus, ab Eupolmo purgatus eſt, de qua Apol-

Apollodorus *Bibl.* lib. II. pag. 71. *Hercules ab Eupolmo tanti criminis contagione expurgatus* (caede nempe Neſſi Centauri) *Cereris ſacris initiatur, inde ad Taenarum Laconiae Promontorium, ubi ad inferna oſtium patet, acceſſit.*

I V.

HERCULES AD ARAM MAXIMAM.

HErculis ſacrificantis imaginem in hac Lucerna nemo non agnoſcit, quamquam ſibi familiaribus ſymbolis deſtituatur. Illam enim produnt & nota effigies, & validi corporis lineamenta, ejuſque cultus, quippe Heroum more ſeminudus ſacrificat; ipſe denique detecto capite ſacrificandi ritus, quod corona tantum redimitur. Hic enim mos illi uni, ac Saturno peculiaris eſt; cum cetera Romanorum ſacra velato capite perpetuo peragi ſollemne fuerit. Ejuſmodi ritum ex Oriente accerſitum putavit Xilander in notis ad x. Quaeſt. Rom. Plutarchi: a quo non longe abeſt praeceptum Aaroni injunctum Exod. c. 29. v. 6. ut cydari uteretur. Sed ne Ethnicorum nugis Religionis ſacramenta miſceamus, ſufficiat nobis hanc caerimoniam ab Aenea uſque deducere, qui, Plutarcho teſte memorata quaeſt. Rom. x. auctor fuit, ut ſacrificantes caput operirent. Id illi ab Heleno quondam traditum refert Virg. Aen. III. v. 403. & ſeqq.

Quin ubi tranſmiſſae ſteterint trans aequora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in littore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Quem locum explicans Servius ſubdit: *Sane ſciendum ſacrificantes Diis omnibus capita velare conſuetos ob hoc, ne ſe inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne Numinis imitatio eſſe videretur, quia Saturnus velato capite ibi cernitur; & Herculi in Templo ſuo,*

quia

quia & ipse capite operto est. Leonis exuvias intelligit hoc loco Servius, quas sacrificans mutavit. Eadem fere tradit & Macrobius Saturn. lib. I. c. 8. *Illic* (scilicet in aede Saturni) *Graeco ritu capite aperto res divina fit, quia primo a Pelasgis, post ab Hercule ita eam a principio factitatam putant.*

Hoc igitur ritu compositus Hercules, unicaque caput corona redimitus, aram maximam tenet, in qua Deorum unicus sua sibimet sacra perfecit. Prodeat iterum testis Dionys. Halicarnas. superius memoratus, lib. I. *Aborigenes, & Arcades,* inquit, *pauperes ramos lauri decerpentes, quae multa eo loco nascitur, Herculem, & se ipsos coronarunt. Evander autem quum vellet omnes homines praevenire Deorum honoribus, Herculem primus placans, aram illi studiose extemporaneam erigit immolatque juvencum indomitum, divinationem Carmentae Herculi aperiens, precatusque est, ut sacra perficeret.* Hujus vero usum coronae ex Lauro in Herculis sacris minus antiquum docuit Macrobius Saturn. lib. III. c. 12. *Constat quidem nunc lauro sacrificantes apud aram maximam coronari; sed multo post Romam conditam haec consuetudo sumsit exordium, postquam in Aventino lauretum coepit virere . . . . . Maro noster ad ea tempora respexit, quibus Evander, ante Urbem conditam apud aram maximam sacra celebrabat, & utebatur populo, utique Alcidae gratissima.* Haec vero Virgilius Aen. VIII. v. 276. & seqq.

. . . . . . Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

& ibid. v. 285., & seqq.

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Sollemne illud Nemaei Leonis spolium nusquam apparet. Alienum enim a religione fuisset tantae necis exuvias ob oculos Deorum sacrificantem objicere, non enim de silvestri fera agebatur; sed de monstro divinae originis, quod Chimera ex Ortho in perniciem hominum pepererat ut scribit Hesiod. *Theogon.* cujus etiam post mortem anima minime evanuerat ferarum more, sed excepta inferno, ut tradit Theocrit. in *Hercule Leonis interfectore,*

re, adhuc vivebat, quod de ceteris hujuſcemodi monſtris tradit Virg. Aen. VI. v. 285. & ſeqq. Quod ſi marmor Farneſianum toties a doctis Viris recuſum, in quo Herculis expiatio obſervatur pro Lucernae noſtrae illuſtratione adeamus, intuebimur Herculem ſacra facientem unico coopertum palliolo, ut in toreumate noſtro videre eſt. Accedit inſuper Appollodori auctoritas *Bibl.* lib. 2. Is enim Herculem deſcribit Jovi Cenaeo ſacrificantem, ac pelle Leonis depoſita, pallioque ſibi a Dejanira, quod illa veneno infecerat, miſſo coopertum, quo in furorem actus eſt. Quae vero forent hae caerimoniae, quae graeco more Herculi praeſtarentur, atque in quo potiſſimum a latino differrent, nemo tradidit; imo inter arcana quandoque illas latitaſſe vel ex eo deduci poteſt, quod quum eae in una Pinariorum familia ſervarentur, haec non aliter quam pretio corrupta ab Appio Claudio publicis eas adminiſtris propalavit, ut ait Dionyſ. Halic. lib. 1. & Macrob. Satur. lib. 1. c. 6. Attamen inter earum ritus illud peculiare fuiſſe ſcimus, ut aperto capite ſacra perficerentur. Praeterea in his ſacris lectiſternia eſſe licebat; ſed, qui ſacris epulis veſcerentur, ſedere ſolebant, quum in ceteris reclinati ad menſas accumberent, quod ex Virg. lib. VIII. & Servio in eum locum clare depromitur. Ad hoc, Sacerdotum veſtes ex pellibus coſtabant, quod item ex Virgilio percipimus.

Pellibus in morem cincti.

Si vero quid magis arcanum in hiſce ſacris, quae graeco more fierent, expiſcari eſt animus, adeundus Pauſanias in *Corinth.* ait enim Sicyonios primum Herculi, tanquam Heroi parentare conſueviſſe, quod aegre ferens Phaeſtus, & iniquum putans divinos illi honores non haberi, inſtituit, ut jugulati agni femora ad aram torrerent, carnium vero partem unam non aliter, quam victimarum ſoliti eſſent, veſcerentur, altera Herculi, tamquam Heroi, parentarent. Sed fortaſse haec unius Sicyonis ſacra erant, ceterorum vero Graecorum longe aliter ſe habebant, praecipue quum ex Virgilio, Dionyſio, & Macrobio comperiamus, tauro indomito Herculi fieri conſuevisse.

Ara cui Hercules adſtat, ex iis eſt quas compactiles appel-

appellari animadvertimus in notis ſuperioris Voluminis, cui formae optime reſpondet Dionyſii auctoritas, qui extemporaneam ab Evandro fuiſſe erectam teſtatur.

V.

HERCULIS SACRIFICIUM ADSTANTE VICTORIA.

FOrte in hac Lucerna Herculis ſacrificium expreſſum eſt, quod ille, Caco occiſo, Jovi Inventori obtulit, uti narrat Dionyſ. Halic. lib. 1. ſemet prius a recenti caede expiato per ablutionem in Tiberi. Inde Victorem cognominatum ſcimus, aramque maximam illi hoc cognomine eo loco dicatam quo in loco tantum Latinis beneficium fuerat impertitus: quod non obſcure prope adſtans victoria ſignificare videtur. Hanc jure omnium Herculis laborum conſciam, ac veluti ſociam poſſis appellare. Sequimur tamen Romanorum inſtitutum, qui Deorum cognomina non ex peregrinis factis, ſed patriis maluerunt nuncupare. Quare Herculi victoriam in hac Lucerna ſociatam credimus, quod eorum progenitoribus, uti putabant, illius ope ſalus parta fuiſſet. Notatu dignum eſt ſacrificium perfici, non patera, ſed ſimpulo, fortaſſe ſcypho, quo in ejus ſacris utebantur. Ita enim teſtatur Virgilius:

Et ſacer implevit dextram ſcyphus.

V I.

HERCULES MUSAGETES.

CLaudianus de laud. Stiliconis Praefat. lib. III. v. 6.

Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Herculem Heroum more cantum, & citharam didiciſſe tradit Theocrit. in *Herculiſco*.

Litteras quidem puerum ſenex docuit Linus,
Sed cantatorem eum fecit, & ambas manus formavit.

In

In buxea cithara Philammonides Eumolpus.

Apollodor. vero lib. 2. *Bibl.* ait eum a Lino citharoedicam didiciſſe. Cur vero Herculem Muſis ſacraverint Graeci, qui eum Muſagetem appellarunt, trita eſt apud Mythologos ratio: nempe fortitudinem ſine ingenio minime pollere. Aliam adducit rationem Plutarch. in *Problemat.* quod nempe Hercules Evandrum litteras docuiſſet, quod ex Jubae monumentis excepiſſe tradit. Herculis vero templum Romae a Fulvio Nobiliore exſtructum in circo Flaminio, & a Marcio Philippo reſtauratum tradit Suet. in *Aug.* c. 29. licet alii primum fundatorem Philippum intelligant, ex ipſis Suetonii verbis: ejuſque feſtum pridie Kal. Junias memorant vetera Kalendaria. Aleander ad *Tab. Eliacam* Herculem probat eſſe Solem; quare Muſis optime convenit.

VII.

HERCULES, ET MINERVA.

HErculem, & Minervam non ſemel in Etruſcis monumentis ſociatos obſervavimus, quod ejus Deae monitu multa egregie perpetraſſe creditus ſit: ſic in bello adverſus Titanes Juppiter conſilio Palladis Herculem ſocium accerſivit, qui primus omnium Halcyoneum ſagitta confoſſum interemit, ut tradit Apollodorus *Bibl.* lib. 1.

Etiam Minervam Alcidem a Macedonibus cultam memorat Liv. lib. 42. c. 40. *Ipſe (Perſes) centum hoſtiis ſacrificio regaliter Minervae, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum, & ſatellitum manu profectus eſt Citium.* At iſtud Minervae cognomen nihil cum Hercule commune habet, quippe eſt ab αλκηεις, *fortis*, *robuſtus*; unde alio cognomine Minerva αλχιμαχη dicta eſt; ut tradit Suidas.

VIII.

HERMATHENA, ET HERMERACLES.

PAlladis, atque Herculis ſigna Hermeis ſtipitibus impoſita hic feruntur, quibus ſapientiam, & fortitudinem

cum eloquentia conjungi oportere veteres judicarunt. Quamobrem ex his Academias ornari consuevisse aptissimo emblemate a Cicerone docemur ad *Att.* lib. 1. Ep. 4. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiae proprium meae, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus gymnasii.* Hermeraclarum quoque mentionem facit Cicero ad *Att.* lib. 1. Ep. 8. *Signa nostra, & Hermeraclas, ut scribis, quum commodissime poteris, velim imponas.* Signa haec pectore tenus in humanam effigiem effecta inferne in quadratae collumellae morem desinunt; Hermea vocant, quod illa potissimum effigie Mercurius effingeretur. Cum vero alterius Dei caput praefixum habet, ex illo, & Mercurio coalitam divinitatem plerumque Mythologi philosophantur. Ego vero non id mystice factum, sed artis defectu evenisse puto; ut quae corpora antiquitus exprimere non valerent, ea in collumella explicarent. Nullius enim Dei imago fuit, praesertim ex antiquioribus, quae, Pausania teste, hac forma non constaret. Sic in *Arcadicis* signa Apollinis, Minervae, Neptuni, Solis servatoris, Mercurii, & Herculis fuisse affirmat. Tale rursus in *Boeoticis* tradit fuisse Veneris simulacrum, quadrangulae insistens basi, pro primaeva idololatria, quum saxa primum informia colere coeperunt. Pauf. in *Boeot. Cupido, cujus est signum vetustissimum rude quoddam saxum.* Tum capita addiderunt, ut ait Bonarrot. *Medaglion.* pag. 215.

IX.

HERCULIS TROPHAEUM

Leonis, sive Nemaei, sive Lesbii, siive Citheronaei exuviae in hoc Herculis Tropaeo principem obtinent locum. Hesperidum poma aurea superius eminent, quae Jovi a Junone in dotem tradita a dracone centum capitibus armato custodiebantur, quem idem Hercules interemit. De quo facinore plura apud Atheneum lib. 111. cap. 7., & Bonarrot. ad num. 9. *Caracallae*. Cur citharam Herculi attribuerit antiquitas, indicavimus supra n. VI.. Gladium vero illi in-

inter cetera arma adſcriptum memorat Apollod. lib. 2. ſcribens illum enſem a Mercurio accepiſſe. Machaeras quoque Herculis in Imperatoris Commodi gaza ſervatas refert Capitolinus in *Pertinace*, quae & forma, & ſui mole Herculem non dedecuiſſent.

X

GENIUS HERCULIS ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΕΟΣ.

CLavam attollit Genius Herculis, veluti de Leonis nece jactabundus, Herculem imitatus, qui ejus belluae caedem ita deſcribit apud Theocritum in *Hercule Leonis interfectore*

Altera vero manu clavam aridam ſupra tempora illius attollens
Impingebam in caput. In duas vero partes aſperam fregi
Ibidem in hirſuto capite ſilveſtrem oleam. . . . . .
Ibi Deorum aliquis me admonuit, ut cogitarem
Ipſis pellem Leonis ſcindere unguibus;
His celeriter excoriavi, & membris indui.

Ipſa clava, quam Genius attollit, in duos nodorum ordine sdiffiſſa eſt, caſu, an opificis induſtria, neſcio, ut vetus illud detrimentum exprimeret.

X I.

GENIUS HERCULIS SACRIFICANS.

INſtitutum erat in inſula Delo, ut ſine victimarum uſu ſolis pomis Herculi libaretur, qui inde peculiari cognomine ΜΗΛΩΝ vocatus eſt, ut notavit Bonarrotius *ad num.* 8. *Caracallae*. Ita nempe illa gens ipſi Deo ſe blandiri putabat, quod inter praecipua ejus facinora, aureorum pomorum rapina numeraretur. Hoc itaque ſacrificium refertur in hac Lucerna, in qua Heracleros clava inſignis ad aram accedit, quae pomis referta eſt, ac dextera ingentem pateram arae admovens, nudus (ut Genii fere ſemper) ſacri-

crificat. Genios vero Deorum ſacra celebrantes effinxerunt; quod illorum ope, veluti Deos inter, atque homines intermedia horum ſacrificia ad Caelites deferri putarent, uti ſuperiori Volumine innuimus.

XII.

SIGNUM HERCULIS FICTILE.

Sum fragilis, ſed tu, moneo, ne ſperne ſigillum,
Non pudet Alcidem nomen habere meum.

Ita in ſimile Herculis ſimulacrum luſit Martialis lib. XIV. *Epig.* 176. vel 178. juxta varias editiones. Inſignem Herculis fictilem ſtatuam, quam Tarquinii Priſci aevo Turianus a Fregellis accitus fecerat, memorat Plinius lib. XXXV. c. 12. *Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiae nomen in urbe retinet: hae enim tum effigies Deum erant laudatiſſimae.*

XIII.

PROTOME VENERIS.

Venerem deſignat in hac Lucerna capitis corona, qua recens nata ab Horis redimita eſt, teſte Homero hymno II. *in Venerem*, & dexterum ſidus, quod nulli ex Deabus, ſi illam excipias, attributum eſt.

Accedit praeterea in toreumate Romani artificii, quod ſub aſtri ſymbolo potiſſimum Romanorum numen Caeſar deſignatur, qui Veneris beneficio in ſtellam converſus eſt. Sic enim Juppiter Venerem alloquitur apud Ovid. *Metam.* lib. XV.

Hanc animam interea caeſo de corpore raptam
Fac jubar, ut ſemper Capitolia noſtra, forumque
Divus ab excelſa proſpectet Julius aede.
& deinde
.... *nec in aera ſolvi*
Paſſa recentem animam caeleſtibus intulit aſtris ......
Stella micat.

Cir-

Circulus, ut videtur, gemmatus, qui e ſiniſtra ſuffixus eſt, ad ea monilia fortaſſe pertinet, quibus ſaepiſſime haec Dea ad illecebras exornata eſt. Neque a propoſito alienum erit dubitare, an hic cingulus ille referatur, quo validiſſimo ſubſidio Deos demulcebat, quodque Junonem a Venere mutuatam ad Jovem alliciendum narrat Homer. *Iliad.* Ξ

Dixit, & a pectoribus ſolvit acu pictum cingulum
Varium; in eo autem omnes illecebrae ei factae ſunt;
Illi ineſt quidem amor, ineſt autem deſiderium, ineſt colloquiū,
Blandiloquentia, quae decipit mentem valde etiam prudentem:
Hoc ei impoſuit manibus, verbumque dixit, & compellavit:
Accipe nunc hoc cingulum, tuoque impone ſinui,
Contextum varie, in quo omnia facta ſunt: neque te puto
Irritam rediturам in eo, quod mentibus tuis cupis.

X I V.

PROTOME VENERIS ANADYOMENES.

VEnerem e mari progenitam, & concha exceptam veterum fabulae, & toreumata teſtantur. Hinc Tibullus lib. 3. *Eleg.* 3. v. 34.

Et faveas concha Cypria vecta tua.

Et apud Statium, Venus ait de formoſa muliere:

Haec eſt caeruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtra potuit conſidere concha.

Hoc exprimere voluit Sigillator, qui Veneris Caput concha comprehenſum in hac Lucerna exhibuit. Fateor tamen ſarcophagos, praeſertim poſterioris aevi, frequenter virorum, aut mulierum, quandoque amborum ſimiles imagines, concha incluſas, continere. Cui conſuetudini fortaſſe alluſit Lucernae artifex, quum ceteroquin conchae ipſae frequentiſſimum mortis ſymbolum ſint, & tranſitus ad beatorum inſulas.

XV.

VENUS EX BALNEO PRODIENS.

VEnerem e balneo prodeuntem, atque unguentariae urnae innitentem, qualis hac in Lucerna optimo ducta stilo repraesentatur, plures referunt veteres statuae, quae Romae adhuc visuntur. Saepius quidem lotam Venerem tradunt Auctores. Sic, priusquam Paridis sese judicio subjiceret, in Scamandro flumine eam se lavisse docet Eustathius in M. *Iliad.* qui fluvius inde Xanthus appellatus est. Iterum quum ad Anchisem, occultata divinitate, accedere meditaretur, ut mater Aeneae fieret, in Cyprum se contulit;

> *Ibi autem Gratiae laverunt, unxerunt oleo*
> *Immortali, qualiter Deos convenit semper existentes:*

Ita Homerus *hymno in Venerem* I.

XVI.

VENERIS SIMULACRUM FICTILE.

HOc Veneris Sigillum ornant consueta corona, solidae in brachiis armillae, & concinnae in pulsibus torques. Haec, & similia ornamenta, quum ad Anchisem perrexit, secum detulit; qui

> *Ornamentum quidem illi primum a corpore abstulit lucidum,*
> *Fibulasque flexibiles, helicasque, calycasque, & monilia,*
> *Solvit autem & illius zonam,*

ut fabulatus est Homerus *hymno in Venerem* I. Simulacrum hoc typo effictum ex iis fuisse puto, quae ipsi Veneri a nupturis Virginibus donabantur, quas *pupas* vocat Pers. *Sat.* 2. *vers.*. 69.,

> *Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?*
> *Nempe hoc, quod Veneri donatae a virgine pupae.*

Quas quidem pupas, non ludicras imagines, ut quidam

Scho-

Scholiastes opinatus est, fuisse reor (nam a templi sanctitate omnino ablegatas fuisse credo) sed ipsiusmet Veneris imagunculas, ex iis profecto, quae in Deorum templis ex marmore, aere, & argilla, offerri, ac dedicari solebant, & parerga, seu donaria vocabantur, fretus auctoritate Lactantii Firmiani *Institution.* lib. 11. cap. 4. qui eundem Persii locum adducens, atque explicans, ait : *simulacra ipsa, & effigies Deorum ..... nihil aliud esse quam grandes pupas ..... Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, & unguenta, & thura, et odores inferunt ; his opimas, et pingues hostias immolant.* Hoc sigillo ad me Roma delato, plura hujusmodi in luco sacro veterum Pisaurensium fictilia reperta sunt, inter quae, puellae frondibus coronatae, quae columbam manu tenent.

X V I I.

JUDICIUM PARIDIS.

JUdicium Paridis de pulcherrima Dearum refert elegantissima haec Lucerna, quum ille

Contemsit Deas, quando ejus ad tugurium iverant ;
Namque laudavit, quae ei praebuit libidinem tristem,

ut ait Homer. *Iliad.* Ω.

Nudas fuisse Deas communiter ajunt, quum ejus judicio sese subjecerunt, Ovidio teste, Epist. v. *Oenones Paridi* v. 34. & 35.

Qua Venus, et Juno, sumtisque decentior armis
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum:

& Epist. 17. *Helenae Paridi* v. 115. & 116.

At Venus hoc pacta est : et in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere Deae.

At vero quia

Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat,

uti Paridem Helenae scribentem inducit Ovidius Epist. 16. v. 81. putarunt Etrusci, ac Romani duas hasce non nudas, sed solito cultu indutas ad judicium accessisse, atque ita eas effinxerunt. Quod fortasse sigillatoris cura spectavit

quum

ita eas effinxerunt. Id forte ſigillatoris cura ſpectavit, quum Venerem nudam, ceteras cultu ſolito ornatas, ad diſcrimen tollendum, expreſſit.

X V I I I. X I X.
V E N E R I S S Y M B O L A.

ANimalia, quibus Deorum poteſtas ſignificabatur, frequenter in iis, quae ſuperſunt, vetuſtatis monumentis, occurrunt, Deorum ſuorum munera indicantia. Venerem hortorum habitam cuſtodem memorat Plin. lib. 19. cap. 4. Plautum teſtem adducens. Itaque illi primitias hortuli, poma, & uvas in calatho oblatas dominae ſuae vice delibant Columbae, quas Veneri ſacras fuiſſe Plutarchus etiam teſtatur *de Iſid. & Oſirid.*, earumque miniſterio per aera vehebatur. Ovid. *Met.* 15.

Perque leves auras junctis invecta Columbis
Littus adit.

Inferne lepores pomorum ſtruem depaſcuntur; quippe par erat, ut matris ſymbolis filii hieroglyphica accederent. Nam Cupidini ſacer fuit Lepus, cujus rationem a nominis etymologia repetit Euſtathius in A. *Iliados*. Cenſet enim hoc factum, quod λαγως & ερως απο του οραν pariter deſcendunt. Fortaſſe & indoles ejus beſtiolae maxime in libidinem proclivis in cauſſa fuit, cur Cupidini ſacraretur.

X X.

C U P I D O, E T P S Y C H E S.

CUpidinis, & Psyches nuptias, quae Mythologorum arcanis commendantur, ſertum ſuperne demiſſum exornat. Namque hoc erat januae decus, ubi ea ſolemnia celebrari contingeret. Catull. *in Argon. v.* 293.

Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

& Juvenalis Sat. VI.

Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & ad haec virides in limine ramos.

Dif-

Difficile eſt profecto definire quaenam ſint minutula illa poma, quae foliis intexta ſunt, niſi forte nuces repraeſentent, quae nuptiarum die diſtribuebantur. Catullus *in Epithalam.*

Da nuces pueris, iners
Concubine. ſatis diu
Luſiſti nucibus. lubet
Jam ſervire Thalaſſio.
Concubine, nuces da.

Haec Lucerna facile inter Sepulcrales ableganda eſſet, quippe fabula Cupidinis, & Pſyches poſt caſus varios divinitate donatae, nihil, niſi animae futuram aeternitatem indicabat; hinc tam frequenter in ſarcophagis occurrit. Verum, quum perſpectum habeamus non ſemper in Lucernarum uſu eum habitum fuiſſe delectum, ut quaeque Lucernae propriis earum uſibus, & qui ornamentis ſuis reſponderent, adjicerentur (quum in ſepulcris ſacrae, domeſticae, votivae demum, & feſtivae inveniantur, corruptis maxime moribus, ſive mavis ex inſcitia ſervorum, quibus cura erat Lucernas ſtatis temporibus apud tumulos excitandi, ſive etiam vulgi incuria, qui uſibus ſuis domeſticis quot quot ad manus venirent Lucernas adhibebant) ideo conveniens viſum eſt hanc, de qua agimus, proferre hoc loco.

X X I.

CUPIDINIS EXPIATIO.

QUum Deorum pene omnium imagines Lucernae contineant, par erat Cupidinem quoque ipſum exprimi in Lucerna, quae Amoris ſimulacrum a Muſaeo appellatur *de Herone, & Leandro.*

Dic Dea occultorum teſtem Lucernam amorum ....
Lucernam annunciantem nuncium Veneris ....
Lucernam Amoris ſimulacrum, quam debuit aetherius Juppiter
Nocturnum poſt officium ducere ad conſortium aſtrorum,

Ac ipsam appellasse sponsas - ornantem stellam amorum.
De expiationibus, quae per ignem fierent, actum supra in Hercule.

XXII.

CAPUT MARTIS.

MArtis armati speciem pectore tenus exhibet Lucerna nostra, quem alioqui nudo pectore in nummis, & simulacris videmus. Verum cultus iste Martem maxime decet; illum enim armis indutum rapraesentat Homer. *Iliad. O.*

Ipse autem (Mars*) induebat arma praefulgentia;*

Atque illum instructum armis, χαλκοκορυστα, vocat idem Homerus *in hymn.*, atque Nonnus.

Martis galea, duplici plumarum ordine insignis, cauda equina exornatur. Hujusmodi galeam Homerus describit *Iliad. T.*

Capiti autem in forti galeam bene factam posuit
Cauda equina ornatam: graviter autem crista desuper nutabat.

Martem quoque loricatum inducit Statius bellum inter Etheoclem, & Polynicem excitantem, loricamque ipsam describit monstrosis animalium rictibus ferociter ornatam. Haec loricarum insignia ab Imperatoribus usurpata testantur, fracta licet, eximia tamen statuarum Imperialium fragmenta, quae Foro Sempronii in Praetorio, atque Urbini in viridario Ruvereo adservantur. Duplex plumarum ordo, qui thoracis oram ambit, totidem monstra servat, gryphum, elephantum, hircum, leonem, &c.

XXIII.

MARS GRADIVUS.

GRadivus Mars appellatus est a gradiendo in bella ultro, citroque, sive a vibratione hastae, quam Graeci Κραδαινειν,
vel

vel, ut alii dicunt, quia gramine ſit ortus. Ita Serv. *in primum Aeneid.* 296. Haſtam vibrat dextera, unde ab Homero *in Hymno haſta valens* appellatur: ac de eo rurſus Claudianus *de Magnet.*

qui cuſpide verberat urbes.

Verum, quum in nummis Hadriani hoc ipſo habitu *Romulus Conditor*, vel *Romuli Conditoris* nomine Hadrianus ipſe repraeſentetur, exiſtimabam olim Lucernae noſtrae typum *Romulo Conditori* adſignandum eſſe. Neque ab hac me opinione removebat, quod in Lucerna imberbis figura ſit, barbatus vero Romulus fere ſemper exhibeatur: arbitrabar enim Romanos aetatem illi, ac vultum militiae accommodatum tribuiſſe, quum caſtrenſi habitu repraeſentarent; quum vero paganico, ſenem, atque ore, capilloque curiae dignitatem referentem exhibuiſſe. Sed tutius eſt Marti Gradivo Lucernam adſcribere, qui hoc plane habitu ſemper figuratur.

Parergi loco lupinum caput adjecimus, unum ex quattuor, quae ex argilla ſummo artificio elaborata nuper ad me Roma miſſa ſunt; cujus imaginem Marti ſubjeci, quod hoc illi animal propter rapacitatem cariſſimum habitum ſit; Quapropter *martium* appellavit Virgilius *Aeneid.* IX. Capita iſta collo tenus effracta, neſcio an vaſibus pro anſis eſſent; quibus disjectis, reliquiae iſtae ſelectae ſint: ſeu potius ita fabrefacta eſſent, ut villarum, & caularum oſtiis praefigerentur. Docet enim Plinius lib. xxviii. cap. 10. veneficiis rictum lupi reſiſtere, atque ob id villarum portis, ut maleficia averruncarent, praefigi conſueviſſe. Quum vero in tanta hominum frequentia, atque agrorum cultu rariores lupi haberentur, quorum aridae cervices maleficiis territandis ſuſpenderentur, ficta haec fortaſſe ſubſtituerunt, & venerati ſunt, eo prorſus modo, quo ceterorum ſacrorum animalium imagines, per quas Deorum Praeſidum divinitatem ſignificari autumabant.

X X I V.

GENIUS MARTIS.

IN veterum Lucernis non infrequens eſt typus iſte, quo Genius quandoque alatus, interdum vero alis deſtitutus (utroque enim modo Deorum Genios effingebant) tropaeum praefert, vel humeris hoſtium ſpolia ad inſtar Martis Gradivi, trunco ſuffixa geſtat. E multis, quae in Muſeo noſtro aſſervantur, unum hoc exemplar ſelegimus, ut Marti famulum adderemus. Vix enim Numina fuiſſe puto, quorum Genii reſpondentibus ſymbolis conſpicui non obſerventur. Siquidem mos iſte a ſollemni illa diſciplina deductus eſt, qua veteres Mythologi tradiderunt, Divinam rationem ad ſe ſe homini communicandam nequaquam aptam fuiſſe, niſi intermediae quaedam poteſtates, diſſimiles illas conciliarent naturas, atque nunciorum inſtar, hominum benefacta, potiſſimum vero in ipſos Deos officia, ad ipſos deferrent: rurſus vero Deorum beneficentiae munera ad homines referrent: quae omnia priori libro indicata, in *Acherontico* meo, qui quamprimum, Deo adjutante, in lucem prodibit, fuſius pertractata ſunt.

At Poetae, quibus, neſcio quo artis ſiniſtro fato, Deorum maximus eſt Amor, doctrinam illam nobis ſubinde fabulis corruperunt, atque Amorem ipſum omnia Geniorum officia obeuntem commenti ſunt, tanquam de Diis ſingulis triumphum ageret. Hic venit in mentem elegantiſſimum Epigramma de Cupidine tropaea geſtante in *Anthologia* lib. IV. cap. 12.

Aſpice, ut exuviis Divûm laetentur Amores,
Utque ferant humeris rapta tropaea ſuis.
Tympana cum thyrſo Bacchi, tum fulmina Summi,
Splendentem galeam, ſcutaque Martis habent.

X X V.

XXV.

MARTIS SYMBOLA.

GAlea, & enſis facile inter Martis ſymbola reponentur, quum plerumque ſolis hiſce armis indutus ille repraeſentetur. In caſſide Triton buccinam inflat, quod ad Gigantomachiae fabulam referri ſuperiori volumine diximus. In veterum galearum cono, & lateribus quandoque Victoriae exultantes, ut ibi in Lucerna Palladis, aliquando ipſae in quadriga, Tritones, Pegaſi, Dracones, Sphinges, & ſimilia occurrunt. Haec ſymbola non ad ornatum tantum, aut ad terrorem incutiendum indita puto, ſed ex quadam veluti religione, qua haec animalium prodigia pugnantibus opitulari credebantur. Hinc apud Statium

Sphinx galeae cuſtos,

Thebaidos x.; illa enim veluti galeae, totiuſque armaturae *tutela* putabatur. Haec autem monſtra ex Diis progenita, vel poſt interitum, in inferis aeternum vivere judicabantur: quare ſcitiſſime Virgilius *Aeneid.* VI. v. 286.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes,
Et centum geminus Briareus, & bellua Lernae.

Theocritus quoque in *Hercule leonis interfectore* de Leone Nemaeo caeſo ait:

Animam autem ingentem excepit infernus.

Gladium, veluti Martis imaginem a Scythis, & a Sauromatis adorari, tradit D. Clem. Alex. *admon. ad Gentes*, Solin. lib. LXX, & Pomp. Mela. lib. II. cap. I. Atque per hunc Scythas jurare narrat Lucian. *in Jove Tragoedo*; quod idem de Alanis tradit Ammian. Marcell. lib. XXXI.

XXVI.

GENIUS EXERCITUS.

GEnios Exercituum novimus ex Nummis: par enim erat, ut poſtquam Auguſtis, Senatui, Populoque

que Romano ſuus Genius tributus erat, Exercitus etiam, qui alteram Romani Imperii poteſtatem continebat, Genio peculiari honoraretur. Sed quid miramur de Exercitu, Senatu, & Auguſtis, cum portis, domibus, thermis, ſtabuliſque ſuos conſueſſent adſignare Genios? quod Prudent. *contra Symmachum* 2. 444. deridet.

XXVII.

CARTHAGINIS SYMBOLA.

MArti adjecimus victae Carthaginis ſymbola, equinum caput, lancea obverſa inſignitum. Tale prorſus ejus Urbis inſigne in nummis occurrit, quorum nonnulli nuper muſeo noſtro acceſſere, & quorum plura retulit Ant. Auguſtinus *dial.* 6. Ratio hieroglyphici a Virgilio expetenda eſt *Aen.* I. v. 445.

Lucus in urbe fuit media, laetiſſimus umbra,
Quo primum jactati undis, & turbine Poeni
Effodere loco ſignum, quod Regia Juno
Monſtrarat, caput acris equi: ſic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per ſaecula gentem.

Inde ejus punicum nomen adſtruit idem Auguſtinus; quum enim a Stephano de urbibus KAKKABH dictum ſciamus, caput equi eorum lingua ſignificare idem autumat. Qua tamen ratione ductus, ignoro, niſi deſumendum putaverit a radice גבה Gaba, quae calvariam ſignificat; illud nempe *caput acris equi*, quod Virg. *Aen.* I. a Didone inventum in urbis ſuae fundatione tradit. De hoc vero aliter ſenſi in *Epiſt.* VI. inter meas Roncallienſes ad Cl. Oliverium datas, in qua kakaba eſſe putavi ipſum עקבי hhachebi, quod veſtigium pedis ſignificat, ſcilicet idem ipſum quod τaψos, aliud ejuſdem urbis nomen, Graecis ſonat. Lancae cuſpis cernitur in altero ex punicis nummis apud eundem Auguſtin. quam tamen, propter ſimilitudinem, tritici granum putavit: at nos dubitare non ſinit hujus Lucernae typus, in quo mucro manifeſtiſſimus eſt. Tritici grana vix in ullo reperiri nummo arbitror; quum fere idem ſymbolum per ſpi-

cas


cas expreſſum videamus. At lanceas habent nummi plurimi, virtutis bellicae ſignum, quod apprime Afris conveniebat. Ceterum ejus forma ejuſmodi eſt, ut in mucronem recta ferrum non deſinat, ſed utrinque anciſum, & cavatum ſit, quale protulit Fabrettus *Col. Tra.* pag. 180. Ephippii mollities antiquae Romanorum ſeveritati pene ignota fuit. Cato *de lib. educandis* apud Nonium lib. 1. *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamentum, equus ſine ephippio.* Hujus tamen in re militari uſum Caeſaris aevo coepiſſe conjicimus ex eodem Caeſare *de bello Gallico* l. IV. c. 2. *Nihil Germanorum moribus turpius, aut inertius, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent.* Quod haud recte, ut videtur, Dio ad Neronis tempora retulit. lib. LXIII.

XXVIII.

EQUES.

EXimii operis toreuma, in quo miles pedes incedens equum manu ducit, evulgatum eſt Tom. III. t. 79. Muſei Florentini, in cujus illuſtratione praeclariſſimus Gorius conjecturam ſuam, mihi maxime probatam, protulit, evulſum nempe illud eſſe ex aliquo veteri ſepulcro; cujuſmodi videre eſt in alio veteri ſepulcro adhuc ſuperſtite in via Tiburtina, quod delineatum obſervatur inter ſepulcra Sanctis Bartoli Tab. XXXXVII. in quo ingens toreuma cernitur, Florentino pene reſpondens: ſi excipias, quod in hoc poſtremo Eques nudus eſt, qualem Lucerna noſtra exhibet. In eo ſiquidem pollebat ſculptorum licentia, eorum praecipue, qui Graecos modos e Graecis exemplaribus imitabantur, ut arbitrio quiſque ſuo Romanum hominem Heroum more nudum figurarent. Quin & in duplici gemma (altera clariſſimi Oliverii mei, altera, quam ex Muſeo noſtro depromimus, quasque excudendas curavimus) bini milites pari geſtu procedunt; alter quidem a dextera in ſiniſtram, ut reliqui; in gemma vero mea e ſiniſtra in

dex-



dexteram. Denique parem exhibet caerimoniam nudus Eques in pictura Etrusca eximii operis apud Dempsterum Tab. XXVIII. In nummo P. Licinii Crassi argenteo, qui in praefati Oliverii Museo lectissimo integerrimus servatur, miles vestitus cernitur, uti & apud Fabrettum *Col. Trajan.* pag. 226.. Quomodo vero res se haberet in sepulcrali toreumate Albani Vitalis, de quo exstat inscriptio apud Gruterum pag. DXIX. num. 7. nequaquam compertum nobis est, propterea quod in schedis Pighii praetermissum fuit. Ejus tamen loco haec adscripta observantur. *In eo miles dextera equum freno retinens, laeva colligata hastilia, adjacente scuto.* Quod quidem postremum equestris militiae gestamen toreumati huic nostro congruit, in quo miles parmulam brachio gerit. At in pictura Etrusca, utpote quae antiquiorem secuta est morem, scutum coriaceum cum parazonio seposítum pendet. Ex ipsa vero parmulae figura, quae velitum propria erat, militiae genus distinguitur: ita enim Livius lib. XXVI. *Gladiis a velitibus trucidabantur.*

Caerimonia, quae in allatis adhuc sculpturis repraesentatur, & a quibusdam pro *transvectione* usurpatur; si vocis proprietatem spectes, nihil aliud refert, quam *censionem* seu processum illum, quo ad Censorum tribunal equites equum manu ducentes procedebant: quos quidem probatos, Censores sinebant abire; si vero quid vitii deprehendissent, equum adimi, aut divendi jubebant. Solebat id quidem singulis lustris fieri, ejusque rei exempla quamplura nobis suppeditantur a Livio lib. XXXIX.

44.

44. a Suetonio *in Caligula* cap. 16. num. 5. atque a pluribus aliis. Primo quidem id a Censoribus fieri consueverat, deinde Consules id officii usurparunt, uti ex veteri Persii *Scholiaste* colligitur *Sat.* III. vers. 29. Ast ubi Imperatores omnia in se Reipublicae munia contulere, hoc item sibi sumsere, ut ex eodem Suetonio *in Aug.* c. 38., & *in Calig.* constat; sed *transvectio* toto caelo distabat. Annua ea pompa erat, qua equites, non ambulantes, sed equis insidentes quotannis idibus Quintilibus ab aede Honoris in capitolium olea coronati procedebant. Diu mansit in Republica mos iste, a Quinto Fabio Rulliano, uti tradit Livius lib. IX. 46., & Aurelius Victor cap. 32., institutus; sed Valerii Maximi aevo jam in desuetudinem abierat, sicuti ex ejus libro I. colligitur. Usurpatum tamen *transvectionis* nomen pro *censione* quandoque vidi apud doctos viros, praesertim apud Sigonium, quem reprehendit Rosinus *antiquit. Roman.* lib. IV. cap. II. Imo, si varium in Urbe morem pro temporum vicissitudine perpendamus, facile reperiemus censionem cum transvectione confusam. Siquidem obliterata jam transvectione illa annua, quae tantummodo pompae gratia celebrabatur, accidit, ut, quum Imperatores equestrem recenserent militiam, transvectionem facere dicerentur: inde Suetonius *in Augusto* loco citato: *Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. Sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat; & senio, vel aliqua corporis labe insignibus permisit, praemisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire.*

XXIX.

ARIETARIUS.

IN hac elegãtissima Lucerna Arietarius miles arietem testudine protectum, rotisque instructum custodit, ac dirigit. Hoc tormentum, ad irati exemplum *pecoris capite* se *vindicantis*, a Carthaginensibus inventum fuisse tradit Tertul-

tullianus cap. 1. *de Pallio*; utque nomen ſortitum eſt ab ipſo uſu, ita par nomini ornamentum. Joſeph *de bello Judaico* Lib. III. c. 9. *Aries trabs eſt praegrandis, malo navis aſſimilis, cujus ſummum gravi ferro ſolidatum eſt arietis effigie fabricato, unde nomen accepit*, & paulo poſt, *quatit muros prominulo ferro*. Tale prorſus hoc noſtrum eſt, nempe acuminata fronte, ut graviori impetu diſcuſſis muris, ruinam faceret.

Pluribus modis aries agebatur, quos omnes quum ſcitiſſime recenſeat Vitruvius lib. x. 19. operae pretium erit integrum illius ſcriptoris locum, quamvis longiuſculum, deſcribere: *Primum ad oppugnationes aries ſic inventus memoratur eſſe. Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt; quum autem caſtellum ante coepiſſent, id demoliri ſunt conati; poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque ejus ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines dejiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſſipaverunt. Poſtea quidam faber Tyrius nomine Pephaſmenos hac ratione & inventione inductus, malo ſtatuto ex eo alterum tranſverſum uti trutinam ſuſpendit, & in reducendo & impellendo vehementibus plagis dejecit Gaditanorum murum. Cetras Chalcedonius de materia primum baſim ſubjectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectariis, & jugis varas, & in his ſuſpendit arietem, coriiſque bubulis texit, uti tutiores eſſent qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati; id autem quia tardos conatus habuerat, teſtudinem arietariam appellare coepit*.

Haec omnia, & alia plurima ad veterem oppugnationem, atque propugnationem pertinentia, imaginibus calamo exaratis videre eſt in veteri MS. noſtri Muſei, in quo quidem quam ſcite, quamque ingenioſe machinae plures, alioqui ignotae, expreſſae ſint, vix explicari poteſt. Centum, & amplius ſchemata continet, trecentis, ut videtur, ab hinc annis delineata, ſeu potius ex antiquiori codice deſcripta; multa enim ex imperitia pictoris rudiuſculi errata irrepſerunt, quae tamen vel ab iis, qui ſtaticae ſtudiis initiati ſunt, facile emendantur. Libri hujus exemplar ad urbis noſtrae Principes Sfortiadas pertinuiſſe comperimus,

quum

quum eorum infignia non uno in loco reperiantur, neque ambigo, ab aliquo rei militaris, & ftaticae peritiffimo, ad aliquem ex praefatis Principibus erudiendum, concinnatum fuiffe.

XXX.

CENTURIO.

CEnturionis imaginem oftendit hac in Lucerna infigne vitis, quam is ad regimen defignandum manu tenet. Plin. Lib. XIV. I. *Centurionum in manu vitis opimo praemio tardos ordines ad lentas producit Aquilas.*

Inde Lucanus Lib. VI. v. 145.

. . . . ibi fanguine multo
Promotus Latiam longo fert ordine vitem.

Hanc militaris poteftatis notam ab Etrufcis fumtam effe, unde plurima militiae inftituta profecta fuerunt, primus ego animadverti. In ejus Gentis picturis, quibus vafa, quae fuperfunt, decoravere, nihil frequentius occurrit, quam homines, qui pallio involuti ad aram accedunt, dextera intortam vitem gerentes, qua perfonae decus defignaretur. Spectabilia praeterea funt apud Dempfterum Tab. LXXII. toreumata quaedam rudiori ftilo elaborata, quibus forte referuntur Ducum, aut Lucumonum imagines, quae dextera haftam, finiftra vero vitem, illamque frondentem gerunt; additis infcriptionibus, in uno ex faxis, Lartis Memii, in altero vero Mutii Titi, vel Titii, nifi characteres, eo in loco valde confumpti, me fefellerint.

XXXI.

RUDIARIUS.

QUae hoc loco exhibetur Lucerna, inter militares praeter votum irrepfit, quum potius inter alias, quae ad fpectacula pertinent, referre in animo habuiffem: in ea enim veteranum gladiatorem repraefentari exiftimo, qui ru-

de donatus, muneris bene gesti testimonium ostentat. Rudis erat virga impolita, seu bacillum ligneum, quo gladiatores, quibus permissum erat a gladiatorio munere cessare, donabantur. Inde tritum illud Horatii lib. 1. ep. 1.

Spectatum satis, & donatum jam rude.

Huc fortasse referenda est alia Lucerna Sanctis Bartoli, in qua exhibentur gladiatores duo decertantes, quos inter medius certaminis Praefectus, gemina illis oblata rude, non tantum pugnam dirimere videtur, sed hoc etiam virtutis testimonio emeritos condecorare. Qui plura videre cupit, adeat Justum Lipsium *Sat. Serm.* Lib. 1. cap. 15., & Lib. 11. cap. 23. ubi de duplici rude doctissime, ut cetera, differit.

XXXII. XXXIII.

MILITES.

DUo equidem, seu Imperatores, seu Tribuni, thorace instructi in duabus hisce Lucernis exprimuntur. Nihil in illis peculiare, nisi operis decor, & stili venustas. Alter scipionem attollit, quo Consules primum, deinde Imperatores, praesertim posterioris aevi, uti solebant: hic eburneus erat, aquilamque in summitate habebat. Aquilam in Lucernae typo deesse haud miror, quum minutiora haec ornamenta, ob operis difficultatem, etiam in Trajani columna, a sculptore omissa notaverit Fabrettus *in ejus illustrat.* cap. 7. pag. 227.

Potest etiam aliquis hic repraesentari ex Imperatorum filiis, qui Principes Juventutis primum inaugurabantur, & ejusmodi habitu, virgaque insignes exprimebantur, uti nummi evincunt.

XXXIV.

VULCANUS.

FOrceps, & pileolus laconico more acuminatus Vulcanum prodit. Eadem omnino Vulcani imago occurrit

in

in nummis gentis Aureliae, nisi quod barbatus ille ibi sit, pileoque laurea ornato decoretur. Haec vero insignia, forceps nempe, atque pileolus, item coronatus, incudini imposita in nummo Carisiae gentis observantur. Numen istud ab ipsis Urbis incunabilis Romae cultum discimus ex Varrone lib. IV. *de Ling. Lat. Sabinorum*, ait ille, *linguam olent, quae Tatii Regis voto Romae sunt dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floraeque, Dijovi, Saturnoque, Soli, Lunaeque, Volcano, Summanoque.* Hujus pileoli significationem prodidit Eusebius III. *de praep. Evang.* c. II. *Vulcani simulacro humana effigie figurato pileum imposuere caeruleum, quo significarent caelestem conversionem, ubi ignis est primigenius, & ab omni faece purissimus.*

XXXV.

CYCLOPES.

OPportunus est Virgilii locus *Georg.* IV. vers. 173. ad hanc elegantissimam Lucernam illustrandam.

...... gemit impositis incudibus Aetna:
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Cyclopes tres numerat Hesiodus *in Theogonia* e Caelo, & Terra natos.

Brontenque, Steropenque, & Argen forti animo praeditum.

Tres quoque Apollodorus Lib. I. *Bibl.* in principio. Sed Arpen tertium vocat; *Vastos Terra e Caelo Cyclopes peperit, Arpen, Steropen, Bronten.* Virgilius vero *Aeneid.* VIII. Pyracmonem substituit, v. 424.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Horum nominum rationes prodit Servius in VIII. *Aeneid.* v. 425.

XXXVI.

XXXVI.

BACCHI PROTOMES.

SUperiori volumine observavimus, saepe in vetustis monimentis tractandis plures ejusdem typi imagines occurrere: eas enim, quae ab insigni aliquo exemplari deductae erant, artifices modo in gemmis, modo in ebore, modo in aere, aut marmore, nec raro etiam in argilla, exprimebant. Id prorsus contigit in hac Bacchi protome, quae bene utranque comparanti, eadem plane est, atque illa aerea, quae habetur apud Chausseum *Simulac. Deorum* tab. 2.; nisi quod ibi diademate caput revincitur, hic vero qua parte pampini capiti inhaerent, contortum, fortasse capillorum volumen visitur. Hic capitis ornatus, qui tribus fere assurgentibus pampinis constat, nequaquam peculiaris est Baccho. Sigilla aenea Larium, seu Geniorum Etruscorum hoc ornamento decorantur, ob eandem prorsus caussam, propter quam copiae cornu illis tribuebatur, quia nempe vim retinerent rerum omnium gignendarum, ut docet Festus.

XXXVII.

BACCHUS CORNIGER.

BAcchus in superiori Lucerna expressus est, qualis ab Ovidio IV. *Metam.* describitur:

. . . . . Tu formosissimus alto
Conspiceris caelo.

Hic vero corniger, ore truculento, atque minaci effingitur. Differentiam idem Poeta loco allato designavit.

. . . . . . Tibi, cum sine cornibus adstas,
Virgineum caput est.

Cur vero cornua illi tribuerentur docet Festus; *Cornua Liberi Patris simulacro adjiciuntur, quem inventorem vini dicunt, & quod homines nimio vino truces fiant, ut belluae*: seu, ut Physici volunt, quia quum igne genitus dicatur, flammae assurgentis apices cornibus imitetur. Hinc apud Orpheum

in

in Hymnis eſt ταυροκερος, & δικερος, taurocorniger, & bicornis; illumque *inventum in ſcopulis cornutum infantem* a Corybantibus fabulatur Nonnus *Dionyſ.* Lib. XII.

Faces ad ejus nocturna orgia referuntur, quas ſplendentibus taedis celebrari noctu conſueviſſe, notum eſt in ſacris. Unde Phauſterius appellatur a Lycophrone, quod facibus uteretur: itemque Nyctelius, quia nocte ejus ſacra perficerentur, & igne lucens ab Orpheo. Hae vero taedae illi arma fuerunt, quum adverſus gigantes pugnavit, ut tradidit Nonnus XLVIII. *Dionyſ.*

Et igne pugnabat Bacchus in aera lampada jactans
Hoſtium interemptricem, per altigradam vero viam
Bacchiaca per ſe voluta currebat ſaliens flamma,
Membra percutiente ſcintilla, irruens in gigantes.

XXXVIII.

BACCHI BIGA CENTAURIS VECTA

QUum Lucerna haec idem fere argumentum contineat, quod inſignis gemma Muſei Carpinei, quam doctiſſimus Bonarrotius illuſtravit, nil prorſus eſt, quod tanti viri opibus ſuppetias feramus: quare liber ille adeundus eſt.

XXXIX.

BACCHUS ΑΚΡΑΤΟΦΟΡΟΣ.

ITa in Phigalia Arcadiae oppido vocatus eſt Bacchus, ut refert Pauſanias *Arcad.* quaſi meri portator; quo etiam nomine vas ad merum miniſtrandum dictum eſt. Hac autem appellatione nuncupare praeſentem ejus effigiem non dubitavimus: ſiquidem ad vini inventum oſtendendum ex diota in cantharum infundere vinum videtur. Adſtat tigris ejus pompae ſocia. Rationem reddit Tibullus lib. III. eleg. 6.

Armenias tigres, & fulvas ille leaenas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

XL.

X L.

BACCHUS DOLIO INSIDENS.

VEnuſtiſſima haec Bacchi effigies ſumma artis elegantia effiєta, facile ex aliquo celeberrimo ſigno expreſſa eſt. Memini ſiquidem me non abſimilem imaginem, ex antiquo exceptam exemplari, vidiſſe inter plurimas ſtatuarum icones in aes inciſas. Corona ex roſis elegantiſſima Lucernam ambit. Nihil floribus Baccho familiarius, atque diſcumbentibus. Ovidius *Faſt.* v. v. 345.

Bacchus amat flores: Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadnaeo ſidere noſſe potes.

Quare Ανθινος floridus ab Athenienſibus, & Patrenſibus dictus eſt. Ita Pauſanias in *Achaic.* Catullus quoque *Carm.* LXIII. verſ. 251.

At parte ex alia florens volitabat Jacchus.

X L I.

GENIUS BACCHI.

BAcchi Genium teſtantur tum pampini, & uvae racemi in limbo Lucernae diſpoſiti; tum vero, quod alter ebrius alterum labantem totis viribus ſuſtinet. Nomen Genii Bacchici ſervavit nobis Pauſanias in *Attic.*. Acratus ille dicebatur, quod graece merum audit.

At quia Genii Deorum ſuorum officia exprimentes fingebantur, fortaſſe hic non Bacchi Genius exhibetur, ſed Sileni ebrii, atque cadentis, quem Genius alter regit; namque ſic fere ſemper Silenus exprimitur. Ovidius de *Art. Am.* Lib. II.

Ebrius ecce ſenex pando delapſus aſello;
Clamarunt Satyri, ſurge, age, ſurge Pater.

X L I I.

D E A L I B E R A.

BAcchi conjugem hic repraesentari existimo, quippe quae omnibus fere symbolis Bacchi viri sui exornetur. Ita Ovidius III. *Fast.* v. 515.

Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes;
Nam tibi mutatae Libera nomen erit.

De illa meminit Cicero de *Nat. Deor.* II. *Nostri majores auguste, sancteque Liberum cum Cerere, & Libera consecraverunt.* Vossius in v. *Delubrum* vocat eam Κορην.

X L I I I.

L E N A.

LEnae, Graecis λῆναι, Nymphae torcularium sunt, quas tres memorat Theocritus in earum *Idyllio*; dictae a ληνος torcular; unde ληναιος Bacchus vocatus est, ληναια festa bacchica. Ejus itaque insigne gestat, amphoram vino reponendo aptam. Ipsa coronata est; capilli vero soluti ad humeros usque dependent. Sic Bacchas describit Ovidius *Met.* IV. v. 6.

...... crinales solvere vittas,
Serta coma, manibus frondentes sumere thyrsos
Jusserat.

X L I V.

B A C C H A T Y M P A N I S T R I A.

BAccha aestro Dei sui concita, velum turpiter vento extollente, thyasum agit, & psallit, ac tympanum manu percutit. sic apud Ovidium *Met.* IV. v. 29.

Femineae voces, impulsaque tympana palmis.

Hoc fere gestu Bassaridem in pugna adversus Indos describit Nonnus *Dion.* XIV.

Alia vero in manibus detenta ſaltu rabido
Manibus circum pulſans graviter trementia dorſa bubuli corii.

X L V.

B A C C H I P O M P A.

PLura ad Bacchi pompam ſpectantia in hac Lucerna obſervantur. Miniſter (fortaſſe Ampelus) nudus reluctantem arietem totis viribus trahit. Hoc inter myſteria Bacchi interfuiſſe ſcribit Plutarchus *de Cupid. divit.* ubi Bacchanale deſcribens ait: *tunc aliquis caprum trahebat*. Sidonius vero *Paneg.* VII. non caprum, ſed hircum tractum docet. *Ducebat olidae marem capellae:* & Virgilius *Georg.* II. ver. 395.

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.

Parerga circum diſpoſita orgiis alludunt. Cymbala loro ſuſpenſa pulſari ſolita in ejus comitatu refert Nonnus *Dionyſ.* XIV.

Cymbala quatiens graviter ſonantia duplici ferro.

In Bacchanalibus antiquis frequenter obſervantur; ita & tibiae, quae diſpares apparent. Eas inter Bacchi myſteria deſcribit Herodotus in *Euterpe*: *Praecedit autem tibia, atque illae cunctantes ſequuntur.*

Thyrſus, circa quem myſticus ſerpens volvitur, proxime ad pedum accedit. Ne tamen id temere a ſigillatore factum ſuſpicemur, animadvertere oportet Paniſcorum ſupellectilem in orgiis quoque frequenter adhibitam: ex quo enim coeperunt Satyrorum imagines in prodigioſis iis ſacris adhiberi, eorum item inſignia in eiſdem religio haud reſpuit.

Herma quoque Bacchica in hiſce toreumatibus ſaepiſſime occurrit: nam illam circumferri ſolitam tradit Herodotus *in Euterpe*: *Pro phallis excogitarunt imagines, cubiti magnitudine, quas circumferunt mulieres per agros.*

Figlinae nota literis extantibus eminet, quibus ex officina Flavia, quae alioquin nota eſt, elegantiſſimam Lucernam prodiiſſe docemur.

XLVI. XLVII.

SILENI.

SAtyri ridentis protome, ſcitiſſimi artificis opus, prominet in Lucerna Tab. XLVI:; nebride ille ex humero dependente inſignitur. Satyros, & Faunos Bacchi ſectatores, ſcriptores fere omnes tradunt, quos inter Orpheus *in hymno Sileni*. Hinc Ovidius IV. *Met.* v. 25.

...... *Bacchae, Satyrique ſequuntur*.

Sequentis Lucernae typus Faunum refert fiſtula canentem, ſubnixum ingenti pedo, qualem eodem loco deſcripſit verſ. 26.

Quippe ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet.

Faunum ſimilem humanis pedibus, auribus vero caprinis fiſtulam inflantem refert Bonarrotius pag. 252. *Muſei Carpinei*.

Fauni caput elegantiſſimum videre eſt in Lucernae, ut puto, operculo, quod unicum ad me hactenus delatum eſt. Conſtat ex argilla nigerrima, aſſurgente ſiniſtrorſum manubriolo perforato.

XLVIII. XLIX.

FAUNI.

QUi veterum monumentis evolvendis operam navant, ii frequenter toreumata offendunt fictilia, optimum plerumque artificem nacta: erant enim proluſiones quaedam, quas ſibi ſculptores proponebant, antequam ad marmora elaboranda manum admoverent, uti ex Plinio colligimus, qui Lib. xxxv. cap. 12. ait, *veniſſe in tantum plaſticae artem, ut nulla ſigna, ſtatuaeve ſine argilla fierent, & Praxitelem, qui plaſticam matrem ſtatuariae dicebat, nihil unquam feciſſe, antequam finxiſſet*. Ex optimis ergo exemplaribus, quae ſibi ſculptores in marmore exprimenda propoſuiſſent, typis formatis, innumera ectypa e-

ducta ſunt, quae muſea omnia exornant. Ex his plura in muſeo Arditio, Oliverio, & noſtro aſſervantur: plura etiam in Baldaſſinio, quae nobilium aedibus exornandis inſerviſſe argumento eſt, quod deaurata fuiſſe cognoſcantur.

In primo fragmento alter e Silenis vinum ex uva exprimit. Fortaſſe Bacchus ipſe hic exprimitur, qui aliquando hirſutus expreſſus eſt: ita Cornutus *in Satir.* 1. Perſii. *In Graecia duae fuerunt Liberi patris ſtatuae, una hirſuta, quae dicebatur Briſeis, altera levis, ideſt, ſine pilis, quae dicebatur Lenaeis.* Alter vero ficubus, ut ego quidem arbitror, redundantem ciſtam attollit. Hoc ad orgiorum myſteria pertinebat. Plutarchus *de Cupid. divit.* Bacchanale deſcribens, haec refert. *Sequebatur alius calathum ficis plenum geſtans, tum aliquis caprum trahebat.*

In ſequentis tabulae toreumate, cujus alterum ectypum Urbini olim vidi in aedibus Cl. Fabretti, eadem myſteria fere referuntur, niſi quod Silenorum alter utrem vini elevans ſeni oſtentat.

L.

TROPAEUM BACCHI.

GRande tropaeum Satyri Baccho eorum duci ſuſpendunt, Tragocranium; capri nempe immolati nudum caput; at mole tam impari, ut in eo artificem luſiſſe nullus dubitem. Cur Bacchi odia caper meritus ſit, cauſſam affert Virgilius *Georg.* II. v. 376.

Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus aeſtas,
Quantum illi (viti) *nocuere greges, durique venenum*
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur.

& Martialis Lib. XIII. 39.

Laſcivum pecus, & viridi non utile Baccho,
Dat poenas, nocuit jam tener ille Deo.

Huc referenda erat capra, quae ſub vite latitans in fragmento

to Tab. LVI. Pisauri in domo mea reperto Nasonis minas non expavit :

Rode caper vitem , tamen hinc quum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit , erit.

L I. L I I.

O S C I L L A B A C C H I C A.

VIrgilius *Georg.* II. v. 386. festa a Satyris in honorem Bacchi peracta ita describit ,

Versibus incomtis ludunt , risuque soluto :
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis :
Et te Bacche vocant per carmina laeta , tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu .

Duo igitur personarum genera in sacris Bacchicis adhibita esse intelligimus , alterum , quo os , & caput contegerent , sed ore patulo , quales larvae scenicae fuere , ut libera voce ejulatus , & carmina illa incomta emitterent , quorum plura exemplaria Lucernae sequentes suppeditabunt ; alterum vero , quod humana ora imitaretur , & quod , veluti anathemata , sive donaria , Baccho dicaretur . Ad hoc pertinuisse puto duas has bacchantum effigies , quae ore clauso primo usui ineptae erant ; harum postrema id pene singulare , ac notatu dignum praesefert , ut ex vitta , qua caput cingitur , lemnisci pedes tigridis referentes dependeant .

LIII. LIV. LV. LVI. LVII.

L A R V A E .

CUr Larvae scenicae Baccho conveniant , supra indicavimus . Accedit , quod ille habitus fuerit comoediae , & poesis dramaticae auctor , uti pridem notavit Chaussaeus Mus. Rom. *de Bullis*.

Parergi loco singulis Lucernis Bullas duas fictiles subdidimus , paris cum exemplari magnitudinis , in quibus Bacchana-

charum , Silenorum , Satyrorumque horrendae ut plurimum imagines referuntur . Ex his plures Romae jam tum adolescens collegi , ceteras ad me amantissimus Joannellius ex agro Tuderte collectas transmisit . Prominent in his veluti acumina retrorsum perforata , uti scirpo , vel filo transadigi posse videantur. Scrutanti mihi horum signorum notas , in mentem venit bacchantium humilioris notae vittas, corollas , & serta potuisse illis exornari , quum praecipue in eis veteris rubricae signa subsistant ; plane ad instar gemmarum , quas in Bellonarii vestitu animadvertit , atque illustravit inter Donianas Inscriptiones Cl. Gorius. Profecto illam , quae Tab. LVI. relata est , quum quatuor in partibus pertusa sit , ad hujusmodi usum aptatam fuisse dubitari vix potest.

Postrema eadem elegantissimi operis Lucerna Tab. LVII. tibias , crotalos, & syringam , Bacchica instrumenta , exhibet ; cum his cithara quoque connumeratur : in ejusdem enim Bacchi orgiis omnimoda musicalia instrumenta intervenerunt, nec injuria ; Musas enim aliquando cum Baccho peregre profectas narrat Diodorus Siculus Lib. III. ac percelebris est opinio Macrobii, imo & Virgilii, qui Bacchum eundem esse cum Sole contendunt . Quapropter de Baccho memoratus Maro canit :

. . . . . . Tu formosissimus alto
Conspiceris caelo .

L V I I I. L I X.

P O M O N A.

POmonae imaginem duabus hisce Lucernis contineri existimo. Prima enim calathum fructibus refertum capite gestat , pomumque dextera manu tenet . Altera vestis sinum pomis onustum ostentat , encarpis ex frondibus , fructibusque concinne efformatis , undique circumdata . Calathos , & modios , quorum par erat ratio , & mysterium , Deorum capitibus promiscue impositos observavit Bonarrotius ad num. Getae I. *Musei Carpinei* , qui eorum originem

nem ductam putat a rudi illo primaevae sculpturae instituto, quo super Deorum capita aequam aliquam, & planam partem relinquebant ad columellae formam, ut donaria, & libationes, quae super ea simulacra deponi consueverant, commodius consisterent. Arte demum adulta, pars illa ad venustatem in modii, seu calathi speciem concinnata fuit, donec hoc capitis decus abiit in signum divinitatis. Fortasse non casu, sed consilio hoc gestamen quorundam Deorum capitibus addictum est, uti per illud fruges, & poma significarent, quibus hominum alimentum ab iis naturae praesidibus impertiri demonstraretur. Quapropter Aegyptii, quibus hoc attributum magis commune fuit, Isidi praecipue, atque Serapidi illud imposuerunt, ut notum est.

Hujusmodi simulacrorum ornamenta Etruscis fuisse ignota, conjicere licet, quod in nulla adhuc, seu pictura, seu sculptura illius gentis apparuerint. Ab Aegyptiis vero ad Graecos, & Romanos transiere, inter quorum numina Genius hoc symbolo insignitur; item Pan, cujus marmoream imaginem ex aedibus Vallensium edidit inter statuarum icones Eques Maffejus. Alterius quoque muliebris statuae mole colossea truncus deformatus, qui, ut memini, in cavedio Farnesiano Romae jacebat, prominentem calathum interne vacuum capite gerebat; ut vel pomis, vel frugibus, vel denique mysteriorum ineptiis continendis, ita effictum esse videretur. Cererem, ni fallor, referebat. Horum vero omnium par erat ratio, non secus, atque in Aegyptiis, ut eis modius attribueretur. Encarpi inter primaeva Deorum donaria reputantur, quum antiquiora Deorum sacrificia frugibus, ac terrae fructibus perficerentur. Pomonae autem pomorum praesidi, jure patrocinii conveniebant eo prorsus modo, quo coronam pomis efformatam Vertumno offerri ab olitoribus tradidit Propertius Lib. IV. *Eleg.* 2. v. 17.

Institor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pyrus invito stipite mala tulit.

L X. L X I.

P R I A P U S.

HOrtorum custos, & tutela Priapus inter pomiferas arbores, adolescentuli specie, poma tuniculae sinu collecta offerens, legem edicere videtur, quae in obsceno carmine legitur.

Quod meus hortus habet, sumas impune licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

In altera Lucerna Satyrus veteranus, atque deficiens ingentem phallum humeris bajulat, atque ita sub onere fatiscit, uti se tanto ponderi imparem esse prae aetate fateatur. Vidi olim delineatum ex museo Burghesio Mutini simulacrum, humeris colligatum phallorum bajulans fasciculum. Si quis vero minime probaverit hasce imagines ad Priapum pertinere amandet illas, ut libet, ad foeda orgiorum mysteria, inter quae Phallophori, turpes illas imagines deferentes, connumerantur, uti refert Suidas.

L X I I.

T E R M I N A L I A.

APprime hic congruit illud Ovidii *Fastorum* II. v. 18. ubi Poeta de Termino loquens, ajt.

Te duo diversa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt,

Eundem morem suspendendi Termino florea serta indicavit Tibullus Lib. I. *Eleg.* I. v. 17.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Neque ideo tamen negaverim Priapum a matronis in hac Lucerna coronari; siquidem ipse Priapus testatur:

Mihi corolla picta vere ponitur.

Ne, quae in obsceno carmine de Telethusa habentur, repetamus.

LXIII. LXIV.

GENIUS DOMESTICUS.

IMagines adolescentium pincernae habitu efformatorum, quae aeneae passim in Museis occurrunt, atque vulgo Pocillatores audiunt, peculiari dissertatione Joannellio meo inscripta, quaeque brevi in lucem proditura est, explicavimus, neque in illis quidquam contineri, nisi domestici Genii imaginem comprobavimus. Multa ibi de eorum religione, atque cultu disseruimus, quae, ne hic frustra recoquantur, consulto praetermittimus. Imagines vero, quas modo proferimus, in eorum censu esse reponendas, minime dubitamus, respondentibus undique symbolis.

Hic noster, tanquam festo die coronatus apparet; nam hujusmodi coronae decus capiti ejus festo die imponebatur, illo, inquam, die, quo quisque natalis sui solemnia concelebrans proprium Genium profusius venerabatur. Hinc Tibullus Lib. II. *eleg.* 2. *in Cerinthi natali* ita precatur v. 5.

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.

Vinario vase demum, & floribus ornatus adest, quibus ipsum summopere delectari reputabant. Horatius *Epistolarum* Lib. I. epist. I. vers. 146.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino Genium memorem brevis aevi.

In sequenti Lucerna Genius vinum in mensam effundit. De hac religione fusius tractatum est in praedicta dissertatione, quo in loco antiquorum mensas admodum parvas fuisse, uti haec Lucerna ostendit, indicavimus. Praesertim vero Etruscarum picturarum exemplis confirmavimus, antiquiores mensas vix uni catino sustinendo pares fuisse, constante adhuc primaeva victus simplicitate, quae successiva illa sibi succedentia ferculorum nomina, atque epulas epulis imminentes execrabatur.

L X V.

C O M U S.

COmi imaginem ex Equite Maffeio protulit Montefalconius. Verum ea, non Comum, ſed Hymenaeum repraeſentari, nemo ibit inficias, qui Tabulam XXXVIII. Tomi I. operis noſtri inſpexerit, quae eandem ipſam imaginem, eodemque ipſo habitu, ſymboliſque exhibet, addito praeterea in Lucernae diſco librali aſſe, qui rem in aperto ponit. Par erat ergo, ut noſtra Lucernarum ſupellex, quae veram Hymenaei imaginem detexit, ſuam quoque Como reſtitueret, ut in poſterum in Deorum cenſu ipſe quoque appareret; quod Lucerna elegantiſſima, quam hic proferimus, praeſtabit. In ea enim Comum convivii Deum exhiberi haud levibus argumentis ductus exiſtimo. Nam quum Diis propriorum officiorum attributa addiderint Veteres, recte facem, quae Genio alioqui minime convenit, illi ſubjecerunt, & vini amphoram; quum haec omnia Como conveniant, quem Philoſtratus *in Imagin.* 3. quum deſcribat, ait in ejus militia auctorari juvenes, qui coronati noctu cum facibus, & muſicis inſtrumentis, vino redundantes ad amicarum fores procaciter laſciviebant. Nomen illi a Κωμος, protervia, laſcivia, ſaltatio, &c.. Unde Varro Lib. VI. L. L. deducit comeſſationem, & comoediam. Hinc Crepalocomus ebriorum hymnus ex Ariſtophane *in Ranis*.

L X V I.

F O R T U N A.

NOtandum ſane Fortunam cum Diana confundi ab Orpheo in ejus hymno. Eam enim, quam τυχην vocat, appellat poſtea αρτεμιν ηγεμονην, Dianam ducem; cujus ſententiae rationem eam fuiſſe puto, quod Fortunam nil aliud eſſe putarent, quam aſtrorum, & ipſius Lunae influxus,

fluxus, unde inopinati eventus procederent.

Hanc ſedentis habitu quandoque effingebant, quo ejus perennitatem ſibi augurabantur. Talis in nummo Commodi obſervatur, addita epigraphe FORTUNA MANENS.

LXVII.

FORTUNA STANS.

FOrtunae ſtantis ſignum ita deſcribitur a Pauſania *in Corinth. Fortunae ſignum alto ſtatu.* Quod ſcriptor adnotavit, quia ſedentis habitu plerumque fingeretur. Hoc tamen typo a Romanis frequentius exprimebatur, praeſertim in nummis. Duas etiam Fortunas venerati ſunt Veteres, bonam unam, malam alteram; inde in nummo Ruſtiae gentis Fortunae Antiates duplici ſimulacro repraeſentantur. Sed & tres Fortunas illos coluiſſe evinci poteſt ex nummis inferioris aevi, in quibus ſub triplici imagine *Fata* exhibentur; ſiquidem fata cum Fortuna ſaepe ita confunduntur, ut diſcerni vix poſſit, fatum eſſe de maximis, & publicis, fortunam vero de privatis rebus.

Duo cornucopiae fructibus omnis generis plenae quandoque Fortunae, quam cognomento felicem nominabant, quandoque Concordiae tribuebantur, uti Bonarrotius notavit ad nummum VII. Commodi, & XV. Philippi.

LXVIII.

SERPENS.

SErpentem pervetuſtum divinitatis ſymbolum Aegyptii obtruſerunt, a quibus ceterae nationes errorem ebiberunt, & in ejuſmodi inſaniam prolapſae ſunt, ut quod ſymbolum olim fuerat, verum Deum eſſe exiſtimarent, uti tradit Voſſius *de Idol.* Lib. IV. c. 63. Inde proceſſit ut Babylonii ſummo cultu eum venerati ſint, quem ſuſtulit Daniel; atque ut a Romanis ſub ſerpentis ſpecie Genius univerſae naturae Deus cultus fuerit: inter cujus munera

quum valetudinem in primis reputarent, factum puto, ut Saluti Deae, atque Aesculapio serpens potissimum tribueretur. Serpenti igitur, sive Aesculapii, & Salutis Genio, sive ut alteri peculiari Deo, cui propriam divinitatem attribuerent, pene semper pateram libandam apposuerunt; proinde frequentior Salutis typus fuit, mulier serpenti ex ara prodeunti libum porrigens. Hic vero caput erigit, & altari, in quo patera stata est, rictum admovet.

L X I X.

AESCULAPIUS, HYGIA, TELESPHORUS.

HAec tabella marmorea, ut opinor, voto suscepto alicui templo suspensa in acceptae salutis testimonium, in agro Tuderte prope villici lectulum servabatur, qui sub illa ethnicarum imaginum triade, Sacrae Familiae, quam Christiani omnes impense veneramur, simulacra verebatur. At Jovannellii mei monitis excitatus tabellam reprobavit, quae Museo meo addita est.

De hoc trium Deorum nexu pauca admodum dicenda supersunt, quum illum luculenter illustraverit Bonarrotius ad nummum L. Veri II.. Corona laurea, qua totum opus concluditur, peculiari religione Aesculapio sacra erat. Festus: *Laurea coronatur, quod haec arbor plurimorum sit remedium*. Fortasse etiam laurus illi attributa est in memoriam Apollinis genitoris.

Peculiare sane est Aesculapium sinistram panno obvolutam gerere, quod etiam in altero Deae Salutis typo observabimus Tab. LXXIII. neque hoc graeci pallii, quo velabatur, proprium erat, nam in nummo majoris moduli Epidauriorum Juliae Mesae inter Farnesianos sinistram exsertam gerit; manusque ejus nudas commemorat simulacrum illius describens Pausanias *in Corinth.*. Imo Ovidius *Metam.* XV. ejus imaginem describens, qualis in Aede Epidauri colebatur, ait.

.....baculumque tenens agreste sinistra
Caesariem longae dextra deducere barbae.

Qua-

Quare in tabella noſtra Romanae religionis myſterium contineri puto, atque ob eamdem rationem, qua Fides manus opertas habet, ſiniſtram Aeſculapio velatam fuiſſe.

Hygia globos tres, ſive pharmacorum pilulas gerit. In arca etiam Cypſeli feminarum imagines fuiſſe iiſdem ſymbolis inſignitas conſtat, uti refert Pauſanias *El. prior. Atque feminae, cum piſtillis pilas praeferunt, medicamentorum artem calluiſſe arbitrantur*. Quo argumento fretus ſigilla quaedam Etruſca, quae manu pilas ejuſmodi continent, Deae Saluti, quam *Juvalitiam* appellabant, ego autem Valentiam, ſeu Valetudinem ſum interpretatus, fidenter aſſigno.

Teleſphorus capiti modium impoſitum gerit. Geſtamen iſtud, de quo nonnulla tetigimus Not. LVIII., Diis illis tribuebatur, quorum beneficio vitam ali, ſervarique reputabant, quod ſalutari huic Deo apprime conveniebat.

L X X.

SALUS IN LECTULO JACENS.

Reclinata in lectiſternio Salus pateram porrigit, veluti ſumtura de ſacris epulis, quae in tripode adſtante afferri contingeret. Pendet e ſponda Teleſphori cucullati imago, non modo ut ſocii, verum etiam ut officii ſui adminiſtri.

Deorum imagines in lectiſterniis reclinandi inſtitutum religioſiſſimum putabatur. Quippe, ingruente periculo, nihil ſanctius, nihil auguſtius fieri poſſe crediderunt, quam Diis per pulvinaria, lectulosque in ipſis templis diſpoſitis epulas apponere. Morem explicat Livius Lib. v. ad an. 356. *Triſtem hiemem gravis peſtilenſque omnibus aeſtas excepit. Lectiſternio tunc primum in urbe facto, per dies octo Apollinem, Latonam, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus, quam ampliſſime tunc apparari poterat, ſtratis lectis placavere. Privatim quoque hoc ſacrum celebratum eſt*. Libro quoque VII. memorat anno 390. pacis Deum expoſcendae cauſſa, tertio tunc poſt conditam Ur-

bem

bem lectisternium fuisse, ludi tunc primum ex Etruria acciti. Quanquam vero priore illo aevo lectisternia adeo rara fuerunt, ut illorum in fastis mentionem habitam fuisse videamus, posterioribus tamen seculis, ut idem recenset Lib. XXXVI. in quibusdam fanis majori anni parte fieri consueverunt.

Stratis igitur sumptuosissimis lectulis Deorum simulacra more procumbentium in illis disponi solebant. Servius *in Georg.* III. *Pulvinar, lectulus, in quo Deorum statuae reclinabantur*. Epulae vero, quae illis erant appositae, olim a Sacerdotibus consumebantur; hinc in Saliari

Omnia dapatilia comisse Jani Cusiones.

Anno vero Urbis 554. primum III - viri Epulones facti sunt, C. Licinius Lucullus, P. Manlius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Laeca, uti refert idem Livius Lib. XXXIII. cap. 42., quorum munus erat sacra haec procurare; deque illis, utrum rite, nec ne facta forent, sententiam dicere.

Quod si placet in hac tabella votivum donarium agnoscere, cum aegrotae mulieris imagine, liberum cuique esto judicium, quum nihil vetet in re dubia alterutrum reputare.

L X X I.

SALUS JACENS CUM SERPENTE.

Exiguum hoc simulacrum Salutis fictile, quod ex numero anathematum fuisse reor, cum praecedente consonat, quippe in pulvinari reclinata jacet, qua solemni caerimonia Deos sibi magis propitios, pacatosque fieri Veteres autumabant. Serpenti insuper ex patera libum porrigit. Hoc ferme modo Salus in lectisternio jacens exprimitur in Numismatibus Farnesianis maximi moduli Neronis, quae tamen ad quartum seculum pertinent, quum ex iis sint, quae *crotoniati* appellant.

LXXII.

L X X I I.

SALUS SUPER PEDIS FIGURAM RECLINATA.

FOrte hic Ilithya, ſive Lucina refertur, quae ſuper gigantei pedis imaginem, lectuli loco, jacens, veluti dolens oranſque, non ſine tamen majeſtate, parientis anguſtias exprimit. Pes, cui, pulvinaris loco, inſiſtit, Iſidi, ſeu Lunae, quae eadem, ac Lucina erat, uti veterum monumentis collatis, atque illuſtratis probavit Fabrettus Inſcriptionum Cap. VI. ſacer erat. Proinde haud mirandum eſt Lucinam ipſam rei ſibi ſacrae inſiſtere, ac veluti in lectiſternio recubare.

Sed quia in his Monumentis illuſtrandis, quae certam aliquam, atque indubiam ſui notam non ſervant, difficile eſt pedem figere, & indubitatam ferre ſententiam; liceat mihi ſuſpicari parientis feminae votivam imaginem hic repraeſentari, ac proinde inter ea anathemata cenſendam eſſe, quae voti compotes feminae Deorum fanis ſuſpendebant. Liberum ſit cuique judicium; nobis quid ſine inſcitiae nota dici poſſit indicaſſe ſufficiat.

L X X I I I.

SALUTIS ANATHEMATA PEDES VOTIVI.

FIctiles pedum imagines, non Lunae tantum, ſed Saluti etiam dicatas fuiſſe argumento ſunt innumerae illae, quas ex Luco ſacro Veterum Piſaurenſium, ubi inter ceteras ara Salutis exſtabat, erui obſervavimus. Accedit in noſtro hoc anathemate ſerpentis figura, quae in patera pedi ſuperimpoſita libamen ſuſcipit, obvium Salutis ſymbolum; ex quo commonemur nullam cum aegritudine ex morſu ſerpentis inflicta affinitatem haec ſigna conſervare.

Itineris alicujus fauſte expliciti memoriam continet altera imago pedis, addita epigraphe. *Fauſtos redire*. Fortaſſe

se gemini pedes fuere, in quorum dextero boni ominis formula huic superiori respondebat *Faustos Ire*, utraque enim occurrit in marmoribus. Capricornus inter faustioris fortunae omina sumtus fuit, utpote

.... *In Augusti felix qui fulserit ortus*,

ut canit Manilius II. 499.. Quare Suetonius in ejus vita c. 94. *Tantam fiduciam sui Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit*. Itaque feliciter coepti itineris fauste complendi, ac fortunati reditus velut omen sumi jure potuit.

Sed felicius etiam omen per Capricornum significari dicendum erit, si Macrobium audiamus Lib. I. c. 12. *in Somn. Scipionis*. *Capricornus*, ait ille, *Deorum porta est, quia per illum animae in propriae immortalitatis sedem, & in Deorum numerum revertuntur*.

LXXIV.

CANDELABRUM VICTORIAE.

AVulsa superiori Lucerna, ipse pes candelabri superstes Victoriam gradientem exhibet, quae humero infixum hastili tropaeum gestat: ac tam modica mole exuviae illae sunt, si comparentur staturae Victoriae, ut haec fere sextuplo procerior humana mensura videatur. Namque hoc augustum, atque admirandum de Diis suis ferebant antiqui, ut gigantea mole, quandoque etiam prodigiosa, illos esse dictitarint. Ita apud Tacitum II. *Curtio Rufo oblata est species ultra modum humanum*. Quod confirmat Plinius *Epist.* Lib. VII. XXVII. *Offertur ei muliebris figura, humana grandior, pulchriorque*. Et Suetonius *in Claud.* c. I. ait Drusum *hostem insequi non prius destitisse, quam species barbarae mulieris humana amplior victorem tendere ultra sermone latino prohibuisset*. Ita Neptunus apud Homerum Iliad. N. tribus passibus a Samo in Aegan pervenit: rursumque talem clamans emisit vocem in Iliados Ξ. v. 127. qualem novem, aut decem millia armatorum elevarent. Idem fere de

de Marte commentus eſt *Iliad.* E. v. 1059.

L X X V. L X X V I.

VICTORIA GRADIENS CUM PALMA, ET CORONA.

INgentem palmam altera manu ſuſtinet Victoria in duabus hiſce Lucernis, a quarum magnitudine eximia Palmarem Deam vocat Apulejus *Metam.* Lib. 11. . Porrigit autem altera coronam, quam ipſa victorum capiti inſerere putabatur. Sic Ovidius *Triſtium* 11.

Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Notandum diſcrimen eſt, quod inter duas has Victoriae imagines intercedit; altera enim dextera ſertum gerit, altera vero ſiniſtra. Id autem incauti ſigillatoris incuriae tribuendum puto, qui in typo lauream quidem in dextera aptavit Victoriae, nequaquam cavens in ectypo contra prodituram. Hujuſmodi ſphalmata quaedam animadvertimus ſuperiori volumine ad Tab. xvi.; ante nos vero Fabrettus *ad Tabul. Iliacam* p. 316. *Imagunculae omnes recte olim in ſuo ectypo excavatae inverſam, & contrariam formam aſſumſerunt. Viſitur namque, ſi bene memini, Pax laeva manu face ſubdita arma incendens; Abundantia dextera cornu Amaltheae ferens, ſiniſtra aliquid innuens; Flaminica pateram ſuper ara laeva pariter invertens; & muliebre aliud ſimulacrum huic Flaminicae ramum ſiniſtra porrigens: alioqui enim vix credibile eſſet, quod vaſculum, ceteroqui conſumatiſſimae artis, tranſmutans dextera laevis, ſponte ſua opifex eo pacto deformaſſet.*

L X X V I I.

VICTORIA GLOBO INSISTENS.

DUbiam vocavit Victoriam Ovidius *Metam.* Lib. viii. quod, bello furente, ambigua inter utramque partem recta lance pendere videatur.

Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.

Talis profecto ea est, quam in hac Lucerna expressam videmus, in neutram partem inclinata, *nudo* praeterea *suspensa pede*, ut ait Prudentius contra Symmachum Lib. II. globoque insistens, ut suum versatilem, ac volubilem statum indicaret; atque ut orbis dominam, *omniumque superatricem*, ut eam appellat Orpheus in ejus hymno, sese ostenderet.

Hanc propemodum Victoriae effigiem describit Apulejus L. II. *Metam. Atria longe pulcherrima columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus attollebant statuas Palmaris Deae; facies quaqua pinnis explicitis sine gressu pilae volubilis, instabile vestigium plantis roscidis decitantes, nec ut maneant inhaerent, & jam volare creduntur.*

LXXVIII.

VICTORIA CUM SYMBOLIS.

VIctoriam novi anni auspicatissimum numen, & officiis omnibus, quae tunc exordium sumebant, felix initium facturam in altera Lucerna symbolis ornatissima volumine priore ostendimus. Idem forte argumentum respicit Lucerna praesens, quae pluribus ex iisdem parergis, quibus ea Lucerna decoratur, ornata est; glande nempe, symbolo diuturnitatis; laurea, quam foribus suspendebant; denario demum Romae capite insignito; de quibus nihil dicendum restat, quum omnia fere in notis ad dictam Lucernam expenderimus.

LXXIX.

VICTORIA INTER CAPTIVOS.

QUum Romae triumphorum solemnia celebrarentur, artifices quoque in suis operibus ipsa communis laetitiae signa exprimere consueverunt, videlicet ipso populi genio sese undique manifestante; proinde mirum non est, si tam obvia Victoriarum testimonia in minutulis hisce

co-

coctilibus, imo in lateribus, & tegulis reperiantur. Quid vero non tentasse Romam prae gaudio gestientem opinabimur, quando Dacicae Victoriae, omnium celeberrimae, gaudia celebrabantur? quum vel in pluribus ex Lucernis Musei nostri illius festivitatis non obscura signa deprehendantur. Huc, ut puto, referenda est praesens Lucerna, ubi gemini ejus gentis captivi expressi cernuntur, eo fere habitu, quo marmorei illi, qui ex arcu Trajani, unde basilica ejus claudebatur, una cum praecipuis ornamentis in arcum Constantini Magni translati fuerunt.

Media Victoria raro sane exemplo nullam coronam profert, sed utraque manu geminam sustinet palmam. Ita fortasse repetita felicibus praeliis maximae illius expeditionis tropaea indicata sunt; seu potius duplici ea palma cuncta terrarum optimi Principis victoriis plena indicantur; eodem prorsus modo, quo Augustus, ut pacem universo orbi impertitam significaret, globum in nummis signavit inter duos olivae ramos consistentem, uti recte observavit Bonarrotius ad nummum Probi v. *Musei Carpinei*.

L X X X.

VICTORIA TRAJANI.

SEquentes Victoriae Caesarum caracteribus insigniuntur, quarum prima *Trajani* nomine nobilitatur. Inde ex iis illam esse putamus, quae vel ad urbem illuminandam, occasione Dacicae Victoriae, vel ad universi populi genium formatae sunt.

Victoriae eo gestu pingebantur, quo omnia pene triumphi officia, & partes exprimerent. Bigas quandoque, & quadrigas ducunt, ut in nummis, toreumatis, atque gemmis. Triumphantes coronant, captivos calcant, spolia gerunt, sacrificia pro felici rei eventu peragunt, taurum immolant, vota nuncupant, clypeos denique victoris nomine insignitos attollunt. Mos rerum, virorumque illustrium monumenta clypeis positis celebrandi traditur a Plinio Lib. xxxv. c. 3. & pluribus illustratur a Bonarrotio ad

Nummum 3. Antonini Pii *Musei Carpinei* . Exempla vero plurima nummi suppeditant , in quibus Victoriae clypeis titulos inscribentes adnotantur .

L X X X I. L X X X I I.

VICTORIAE CUM CLYPEO.

VOtorum Quinquennalium , ac Decennalium originem repetit Dio Lib. 53. ab Augusti temporibus : quum enim ille septimo suo Consulatu de Imperio dimittendo in Senatu egisset , Senatu vero reluctante , in decennium prorogatum Imperium illi fuisset , inde in quinquennium, iterumque in aliud ; factum est , ut singulis quibusque quinquenniis vota pro Principis , atque Imperii incolumitate susciperentur , iterumque suscepta solverentur . Additque idem scriptor ad suam usque aetatem (floruit sub Alexandro Severo) adhuc morem illum viguisse .

Vota Quinquennalia Antonini , quae tab. LXXXI. memorantur, si suscepta esse intelligamus , ad Imperii sunt referenda initium , nempe ad ann. Urbis 891; si vero soluta , quum Decennalia susciperentur , ad annum 895. Torquato , & Herode Attico *Coss.*

Hoc Votorum monumentum attollunt geminae Victoriae ; quum enim , uti priori volumine , atque hic rursus observavimus , Victoriae , tanquam numini faustissimo , rerum exordia , & annorum initia tribuerentur , eadem ratione primordia quinquennii illi dedicata fuerunt .

Vota suscepta pro alicujus Imperatoris incolumitate memorat Lucerna tab. LXXXII. , quae fortasse ex iis est , quae ad Urbem exornandam in ea celebritate formabantur : neque futilem fortasse temporis conjecturam deducimus a subscriptione figulinae MAXIM , rudi stilo exarata , quae Maximiani Aug. nomen indicare potest , cujus aetatem , atque inclinatam jam sculpturae elegantiam testatur Lucernae minus elegans artificium .

LXXXIII.

L X X X I I I.

VICTORIA IN CORONA QUERNA.

TAbula haec vitrea unius fere palmi altitudine conſpicua eo utique pretioſior, quo integrior ad hanc uſque aetatem pervenit. Decidit tantummodo ex ea extimus ille picturae cultus, quo, ut puto, decorabatur: namque univerſa illius ſuperficies ita ſcabra, & rudiuſcula ſupereſt, ut aliquid excidiſſe omnino evincatur. Non pauca ejuſdem materiae confracta opificia ad manus meas pervenerunt, ex quibus tota exterior facies aufugerat, quae vividioribus coloribus, ad venuſtatem operi comparandam, exculta erat. Ex quo ſuſpicari licet non omnia vitrea opera encauſtice depingi conſueviſſe; illa enim, quamvis confracta, colorem conſtantiſſime retinent; ſed multa etiam, remoto igne, viliori quodam pigmento ornata fuiſſe, quod temporum injuriae nequaquam reſiſteret. Id & in Lucernarum rubrica frequenter obſervamus, ſubſiſtente adhuc in plurimis, ut perfricando vividior rubeſcat, fugiente in aliis, & quae penitus lota evaneſcat.

Anſulae utrinque perforatae clare evincunt uſum hujus tabellae fuiſſe, ut alicui ſacrae aedi, veluti anathema votivum ſuffigeretur. Notae vero AA. NN. Victoriam aliquam duorum Principum una imperantium forte indicant, pro cujus felici eventu miles aliquis, aut cliens vota nuncupaverat: cujus officii exempla etiam in marmoribus occurrunt. Quorum autem Auguſtorum hic mentio fiat, obſcurum. Urgent plura, ut credam in hac Lucerna fortaſſe M. Aurelii, & L. Veri Victoriam aliquam deſignari: ſiquidem in eorum nummo majoris moduli *Muſei Carpinei*, in cujus antica Auguſtorum fratrum capita conſpiciuntur, in poſtica Victoria gradiens cernitur, cum titulo *Victoriae Auguſtorum*. Spolia barbarica ſunt, ſed Britannica ne ſint, an Germanica, an Partica, vel Armeniaca, aſſerere non auſim. Non deſunt, qui tabellam hanc ad poſteriora tempora referendam putaverint, quod formula illa *Auguſtorum Noſtro-*

strorum, potius tertii seculi Imperatoribus attributa sit. Verum, pace illorum dixerim, parum callere antiquitates illi mihi videntur; jam tum enim a Domitiani aevo solemnis erat haec formula, ut ex figlinis constat a Fabretto relatis *Inscr. Antiq.* cap. VII. n. 82. & seqq.. Et ne Domesticas Lucernas in testimonium adducere praetermittamus, harum in una expresse legitur.

ANTONINI
A. N.... TIBE

In alia vero

VOTA. V
ANTONINI
A. N.

LXXXIV.

VICTORIAE LAUREAM SUSTINENTES.

INgentem coronam hinc inde Victoriae sustinent, sed quae minime capiti prae ipsius mole aptari posset, & ad magnificentiae potius ostentationem vel in pompis perferretur, vel in aedibus suspenderetur. De coronis hujusmodi meminit Juvenalis *Sat.* x. v. 39.

..... magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla.

Et Festus: *Donaticae coronae dictae, quod his victores in ludis donabantur, quae postea magnificentiae caussa institutae sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, quum lares ornantur.*

LXXXV.

VICTORIAE CANDELABRUM CORONANTES.

VIctorias omnia triumphorum munia obeuntes supra animadvertimus; & frequentius etiam sequenti volumine adnotabimus. En ipsas vota pro sui exitu suscepta sol-

ſolventes quum ardenti candelabro adſtantes ſerta inde ſuſpendunt. Frequenter hic typus in veterum toreumatis, praeſertim vero Templorum zophoris obſervatur. Uſum aris ſerta ſuſpendendi indicat Virgilius *Aen.* 1. v. 420.

. . . . . . centumque Sabaeo
Thure calent arae, ſertiſque recentibus halant.

LXXXVI.

VICTORIAE TROPAEUM STATUENTES.

CONſueverunt Duces e bello reduces ſpolia ex hoſtibus relata offerre Diis, quorum auſpiciis rei bene geſtae exitum referebant. Id enim idem erat, ac de primitiis belli Diis ſacrificare, uti notat Servius *Aen.* XI. verſ. 6. quo in loco poeta deſcribit hujuſmodi tropaeum, quod de Mezentii armis Aeneas conſtituit. Quae quidem religio adeo univerſalis fuit, ut omnium populorum exemplis facile comprobetur, praeſertim vero orientalium ex Divinae Scripturae teſtimoniis. Quam vero frequens fuerit apud Romanos id religionis argumentum oſtendunt paſſim Scriptorum libri, & exſtantia marmorum monumenta, in quibus nihil frequentius hoc ſymbolo, praecipue in Urbe, ubi triumphi obvii, & Victoria familiaris; multoque magis in aula Palatina non ita pridem Romae detecta, cujus ornamenta marmorea, quae non reſiſtenti lapidi inſculpta, ſed cedente ex cera efformata videbantur, Victorias tropaea ſiſtentes continebant.

Porro Victorias ipſas tropaea ſtatuentes antiqui finxerunt, ut indicarent eadem non ſine belli diſcrimine fuiſſe parta, quae ipſe belli terminus Victoria pararet. Praeterea quum Deos ſacrificantium habitu plerumque exhiberent, ut toties adnotavimus, quod haec forma putaretur auguſtior, ac Deo dignior, Victorias taurum immolantes, ac tropaea ſtatuentes libentiſſime repraeſentarunt.

LXXXVII.

L X X X V I I.

VICOTRIAE THUS ADOLENTES.

PLurimos ſacrificantis Victoriae typos occurrere memoravimus, nempe taurum ferientis, ut in antiquo marmore apud Jacobum Barotium *Element. Architect.*; & patera libantis apud Fabrettum *Colum. Trajan.* Cap. x. Serta ex candelabro ſuſpendit in ſuperiori Lucerna, & in eodem marmore apud Barotium; thure denique ſupplicat in hac, & in ſequenti toreumate votivo.

Forma thus adolendi ea ferme eſt, quam deſcribit Ovidius *Faſt.* II.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

et Lactantius Firmianus Lib. I. c. 5. *Nam cruciari, atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehenſa in focum jactare.*

L X X X I I I.

VICTORIAE IN ZOPHORO VITREO.

TOreuma hoc vitreum trium fere palmorum longitudinis pro zophoro alicujus aediculae, ut videtur, conflatum, eruditorum omnium, imo & artificum peritiſſimorum ingenia contorſit. Ignoto namque artificio ductum eſt; exultant nempe undequaque folia, & ſurſum repanda, ſubtus hiant; praeterea Φυλλάρια quaedam ita in arcum inferne cavata aſſurgunt, ut penitus pervia ſint, ſolido tamen opere, ita ut nihil prorſus applicitum poſtea fuerit, nihil rurſum appoſitum, atque igne concretum.

Inter eminentes, & circumflexos acanthos, qua roſae, ſeu flores in aliis patent, protomes duae militarium Deorum conſpiciuntur; Bellonae praeſertim, ſive Palladis, cujus galeatum caput extrinſecus eminet, avulſo interim altero, quo loricati hominis effigies, Martis fortaſſe, aut alicujus ex Imperatoribus, referebatur. De vitreis hiſce or-

ornamentis plura ſuperiori Libro diſſeruimus.

LXXXIX.

TROPAEUM.

EXſtructo tropaeo, alligati hinc inde captivi jacent proſtrati, quales in nummis ſaepe obſervantur, praeſertim ſecundi, & tertii ſaeculi; quae potiſſimum arcuum triumphalium inſignia erant. Hinc Juvenalis *Sat.* x.

...... *ſummo triſtis captivus in arcu.*

X C.

LUCERNAE TRIUMPHALES.

LUcernis victoriatis ſubdimus triumphales, illas, inquam, quae ita aptatae ſunt, ut aedium abacis quam commodiſſime applicarentur, quum urbis viae in illis celebritatibus per noctes illuminarentur, de quibus plura notavimus in Prolegomenis. Ex eo genere quam plurimae apud me aſſervantur, forma, & ornamentis diverſae, nec ſine voluptate ſpectandae; ex quibus unam tantum ſelegimus feſtiva illa acclamatione exſtantibus literis inſignita: *Io triumphe*. De hujuſmodi acclamatione haec habet Varro de L. L. lib. v. *Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, Io. Idque a* Θριαμβῳ *Graeco, Liberi Patris cognomento poteſt dictum eſſe*. Unde apparet hujus formulae etymologiam Romae ignoratam, in qua vel ipſe Romanorum doctiſſimus dubitanter verſatur. Si cum illo fas eſt ſuſpicionem meam conferre, haud crediderim ab orgiis dictionem illam ad triumphos conceſſiſſe; his enim nihil commune cum Baccho. Putarim potius ab Etruria arceſſitam, unde diſciplina militaris, & pleraque Imperatorum ornamenta petita ſunt, veteremque manſiſſe caerimoniam, etſi lingua illa in deſuetudinem abierit, nemoque jam amplius Etruſcas voces intelligeret. Ea vero acclamatio in Imperato-

rem dirigebatur : *clamitant in Capitolium eunti* ; erat itaque fausta aliqua precatio , composita fortasse a יה *Iah* dominus , unde *Evoeh* , & *Evoah* , & *Teii* cognomen ; est enim *Tejus* quasi *Deus Iah* . Quapropter mihi sacra illa conclamatio *Io Paean* , idem est, ac Deus Paean. Triumphum vero non a *triambo* dictum existimo , sed potius a ομφινειν augere , & honestare , & τρι ; numerus enim ternarius pro summo , & maximo plerumque positus . Quare , nisi fallor , *triumphus* idem sonat , ac *maxima honestatio* , & acclamatio, Io triumphe, *Deus ter augeat te* , *vel honestet te.*

Altera Lucerna , in qua expressus est titulus AA. NN. Augustorum nostrorum , minime singularis est , quum plures ex illis , licet antiquitatis injuria satis corruptae , ad manus meas pervenerint ; eoque titulo indicatam fuisse puto figulinam Augustorum : unam , inquam, ex plurimis illis, in quibus in usum Caesarei Palatii vasa minoris pretii formabantur; nihil enim in hac Lucerna expressum est, quod honori Augustorum attribui possit, nisi ipsa Lucerna.

X C I.

HOMERUS CUM MUSA.

ROmanis , Graecisque Diis Homerum adjunximus , quem templorum honore , ac divinitate fuisse decoratum refert Aelianus *Var. histor.* Lib. XIII. *Ptolemaeus Philopator instructo templo, eoque Homero consecrato , collocavit eum pulcherrime sedentem , & circumcirca eas urbes , quae sibi Homerum vindicant , prope simulacrum posuit* .

Homeri sedentis imaginem adstante Musa exhibuit Fabrettus in toreumate *ad Tabel. Iliad.* n. XI. quamquam fracto marmore brachium tantum Musae superfuerit. Idem vero argumentum in hac Lucerna contineri suadent in primis vultus lineamenta , quae minus feliciter imitatus est pictor ; ego vero , qui divinam illam formam ex marmoribus mente haustam praesentem , ac veluti mihi obversantem habeo , coramque mihi semper videre videor , in hac Lucerna penitus agnosco expressam , quantum operis exilitas,

&

& materiae humilitas patitur. Elucet enim plerumque in hac fictili supellectile perfectissimorum prototyporum imitatio, quae audacioribus lineamentis efficta, in ipsa operis negligentia exemplarium elegantiam exprimit, & majestatem. Accedit etiam, ut Homero Lucernam hanc adjudicemus, non solum quod Musa stans volumen teneat, vatemque cogitabunda intueatur; verum etiam quod vates ipse sedens alterum volumen manu ostendat; quod & in duobus anaglyphis apud laudatum Fabrettum observatur. Atque hinc solidissima mihi oritur ratio cur non assentiar Josepho Hebraeo, qui Lib. 1. *contra Apionem* ait: *neque Homerum literis suum poema reliquisse, sed cantibus memoria reservatum, postea fuisse compositum*.

Profecto non ea est divini poematis moles, ut, sine scripturae ope, intactum illud memoria custodire, atque ad nostra usque tempora, neutiquam labefactatum, deformatum, aut mancum, aut varianti lectione adulteratum transmittere potuisset. Ait insuper Aelianus *loco cit.* Lycurgum primo universam Homeri poesim in Graeciam ex Jonia attulisse, Pisistratum vero Iliada, & Odysseam conjunctim edidisse.

X C I.

PROTOMES TRIUM POETARUM.

SImulacra Deorum antiquissima in columellam hermarum more desinentia vidimus jam ante frequentissima fuisse in Graecia. Ita quoque familiare fuit Heroum, Philosophorum, & Poetarum imagines Graecis exprimere. Quibus ita redundavit antiqua Graecia, ut ex illius provinciae spoliis ubique magno numero ejusmodi imagines in Romanorum villis, atque tablinis servarentur. De his saepe meminit Cicero *ad Atticum* Lib. 1. ep. 7. *Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant*. Et Lib. eodem epist. 8. *Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto*. Ex his tria, quantum minuti operis angustia patitur, deprehenduntur in hac pereleganti Lucerna; horridula, brevique bar-

barba, quali cultu ut plurimum Graeca ſimulacra conſpiciuntur. Singulis ſubjecta ſymbola, tibiarum, ſcenicae larvae, citharae, alterum ex epicis, ex comicis alterum, poſtremum ex tragicis forte indicat. Ex quibus pro ſuo quiſque captu principem poteſt aſſerere; dummodo alterum ex his Homero locum tribuamus, cui uni tantum debet litteraria Reſpublica, quantum vix ceteris omnibus, qui e Scriptoribus Graecis nobis ſuperſunt.

X C I I I.

GRAECORUM EX CLASSE DESCENSUS.

HOmeri imagines monumenta quaedam Trojani belli ſubſequuntur; & primo quidem occurrit Graecorum e navibus excenſus in Sigeo promontorio, adſtante, atque obſtupente Scamandri fluminis Deo, qui conſueto more humi jacet. De hoc loco Strabo Lib XIII. *Eſt enim ſtatio navium ad Sigeum; prope etiam Scamandri ſunt oſtia* XX. *ab Ilio ſtadiis*. Primam ex Graecorum navibus, quae ad littus appulſa fuerit, Dictes Cretenſis hiſt. *belli Trojani* Lib. II. tradit Proteſilai fuiſſe, qui a Trojanis in ipſo navium appulſu vulneratus interiit. Quum vero Graecorum excenſum illi fruſtra impedire tentaſſent, ac poſtremo fugati fuiſſent, Graeci ſubductas naves, atque in ordine poſitas tuto collocant. Idem refert Ovidius *Met.* XII.

. . . . . . Hectorea primus fataliter haſta
Proteſilae cadis.

Naves Graecorum haud procul ipſe Scamander intuetur.

C X I V.

GRAECUS EX BIGA PUGNANS.

BIgae inſtans alter e Graecis ducibus in bellum procedit. Clypeus illi ingens, atque rotundus ex iis eſt, quos Argolicos vocant, quibuſque bello Trojano depugnatum eſt, ut probavit Cl. Blanchinus in notis ad monu-

numenta Civitatis Urbini Cap. x. Eo etiam ſcutorum genere Etruſcos uſos fuiſſe conſtat ex toreumatis earum gentium, in quibus certamina tali armatura pugnantur.

Lancea praegrandi cuſpide inſtructa manifeſte apparet. Tales Rutulorum haſtas fuiſſe deſcribit Virgilius *Aen.* XII.

..... bigis it Turnus in albis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Heroas autem e biga pugnaſſe, non vero ex equo, ſatis ſuperque ex Homero conſtat, quanquam Quintus Smirneus Παραλειπ. A. dicat Pentheſileam in eo bello ex equo pugnaſſe, unde ab Achille ſauciata dejecta fuit.

X C V.

HEROS CUM NIMBO IN BIGA.

ELegantiſſimum hoc marmoreum toreuma, pedum quatuor altitudine, eximii artificis opus elaboratiſſimum, fragmentum eſt ingentis urnae, quod, in agro Calibanenſi ſecundo ab hinc lapide effoſſum, diu in Gozzeorum villa aſſervatum eſt, unde domum meam jam decennium conceſſit. Heroem refert Graeco cultu, atque armis inſtructum, & ocreatum, quales deſcribit Graecos Homerus, a quo illi frequenter ἐυκνήμιδες, *bene ocreati* appellantur. Quod autem in eo animadverſione digniſſimum eſt, ambit Herois caput circulus quidam (quem nimbum vocant) minime dubius, aut obſcurus, ſed exſtans, & ſatis conſpicuus, quo ejus divinitatem ſculptor ſtuduit explicare.

Nimbus iſte non ex velo conſtat, ut ille, quem in capite Scamandri fluminis animadvertit Fabrettus *ad tab. Iliac.* num. 58. & cap. IX. *Columnae Trajanae* pag. 303., ſed ſolidus, & ubique aequalis, ut ipſum ex capite egrediens jubar explicaret. Hoc divinitatis inſigne ſaepius memoravit Servius, ut *Aeneidos* II. v. 615. & *Aeneidos* III. v. 587. ubi illud nuncupavit *lucem divinam, & fulgidum lumen, quo Deorum capita cinguntur.* Quod etiam Imperatoribus, & Regibus attributum dicit *Aeneidos* III. v. 585. *Proprie nimbus eſt, quo Deorum*, vel *Imperan-*

tium capita , quasi clara nebula , ambire fingitur .

A veritate fortasse non aberraverim, si hic Achillem Hectora raptantem expressum fuisse dixero ; non enim aspicit ante, quod pugnantum est, sed retrorsum sese convertit, quo defuncto cadaveri, & Priamo e Trojae moenibus spectanti illuderet , dum illud circa Patrocli tumulum raptaret . Ita fere expressus est idem Achilles curriculo insidens in illo celeberrimo anaglypho , quod in ambone Araecaeli inclusum est, quod pariter vulgavit laudatus Fabrettus.

Sane Achilli nimbus attributus est , propterea quod Deae filius erat . Hinc Juno apud Homerum *Iliados* ω .

. . . . . . ceterum Achilles est Deae proles :

atque idem Homerus illum frequenter appellat *Divum* ; eoque mortuo templum illi , & sacra in Sigeo constituta sunt , ut tradit Strabo . Servius quoque *Aeneid.* III. v. 332. ait : *Pyrrhus occiso patre in templo Apollinis Tymbraei , reversus ad Patriam in numinis insultationem in templo ejus Delphico aras patri constituit , & illic ei caepit sacrificare* : In Leuce praeterea Euxini insula , quae Achilli sacra erat, ejus delubrum , & simulacrum memorat Pausanias *in Laconicis* . Alterum ejusdem templum inter Spartam , & Arcadiae fines refert ibidem , quod recludi religio vetabat . Alterum porro ejus templum fuisse prope Brasias narrat eodem libro , ubi solemnes ludos in ejus honorem fieri solitos tradit : *in Corinthiacis* vero divinos eidem honores attributos apud Poemenaeos recenset. Demum ait a puberibus , qui in plataneum pugnaturi descendebant , Achilli ante pugnam rem divinam fieri ; ejus denique apotheosin observamus apud Q. Smyrnaeum Παραλειπ. Δ. v. 695. ubi Neptunus Thetidem his verbis alloquitur :

Non enim hic cum Manibus inferis , sed cum Diis deget,
Sed mox ad lucidas caeli sedes evehetur .
Atque ego ipse muneris loco caram Diis insulam tradam
Ad Pontum Euxinum , ubi pro Deo habebitur perpetuo.

X C V I.

GRAECI, ET TROJANI PUGNANTES.

GRaecus, & Trojanus in hac Lucerna pugnantes ex vario ſuae gentis cultu dignoſcuntur: nam Graecus inſigni galea protectus eſt; Trojanus vero pileo Phrygio, quem etiam inter pugnandum geſtaſſe, vel ex hoc uno monimento colligimus. Fortaſſe aere, vel ferro tunc conſtabat, ac retorto in anticam partem apice pileum paganicum ſimulabat, ut etiam in bello illud inſigne retinerent, quod ideo forſitan ipſis auguſtum erat, ac boni ominis, quia illo Atys patrius Deus ornari conſueviſſet. Hanc galeae formam, quae Phrygium pileum imitatur, in Italicis nummis frequenter obſervamus.

X C V I I.

PENTHESILEA DEFICIENS.

AD belli Trojani hiſtoriam pertinet Pentheſileae fatum, quod graphice deſcribit Quintus Smyrnaeus Παραλειπ. A.

Grandem e manu bipennem dimittit, noxque ei circum
Oculos tenebris inhorreſcit, & pectus.....
Compoſite cadens ad terram, nec pudor
Formoſum corpus dedecorat.

Jacet ſub pedibus vacua caſſis, quam ab ipſa jam mortua detraxit Achilles. Ita idem auctor.

Eique de capite detraxit caſſidem micantem.

Pone vero gladius, quem jam vulnerata, & deficiens educere cogitabat, ne ab Achille iterum confoderetur.

Ergo deliberavit utrum manu educto ingenti gladio
Expectaret rapidi Achillis impetum venientis.

Trojanorum legatus ex iis, qui ad repetendum illius cadaver ad Graecos miſſi fuerant a Priamo, Phrygio habitu inſignis defunctae cadaver a terra elevat. Ita idem Poeta circa libri finem.

Cae-

Caeterum misericordia prosequuti illustrem Penthesileam
Imperatores Atridae, quam & ipsi demirabantur,
Trojanis reddiderunt ad urbem magnifici Ilii auferendam
Cum armis suis, quum de Priami voluntate cognovissent
Legationem mittentis; is enim animo suo destinarat
Puellam magnanimam una cum armis, & equo
In magnificum opulenti Laomedontis tumulum inferre etc.

Hoc toreuma, quod Quinti narrationi omnino respondet, discrepat aliquantum a Panaei pictura, quam in cancellis templi Jovis Elei describit Pausanias *Eliac.* prior. *Penthesilea animam agens, eam sustinente Achille.* Certe hic, non Graecus, sed Phrygius homo repraesentatur. Neuter tamen pictorum erravit. Panaeus quidem Achillem inducit Amazonem sustinentem, quum pietate, & amore commotus ejus morte contristatus est. Ita Quintus *loco citato.*

...... *At Pelei filius valde contristabatur*
Delectabilem puellae speciem in pulvere contuens.

Sigillator vero noster Penthesileam a Trojano Legato elatam refert.

XCVIII.

DIOMEDES, ET ULISSES DE PALLADIO DISCEPTANTES.

Palladii furtum a Diomede, & Ulisse patratum describit Virgilius *Aeneid.* 11. v. 163.

.... *impius ex quo*
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes
Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas.

Diomedes repraesentatur hic, qualis in antiquis gemmis saepius exprimitur, stricto gladio, quasi pro Palladio dimicans. Ulisses vero, qui cogitabundus coram adstat, fabellae forte alludit, quam ex Allatio narrat Fabrettus *ad tabul. Iliad.* 365. de subdolo Ulissis ausu, qui, socio

socio peremto, se magni ejus facinoris auctorem ostentare meditabatur, quo tamen a Diomede cognito, gladio educto, socii dolum elusit.

XCIX.

HEROS PALLADI SACRIFICANS.

GRaecus Heros in hac Lucerna Palladi sacra facit, statuta coram diota, quae cum apos sit, humili tripodi infixa sustinetur. De hoc peculiari instrumento ad hujuscemodi vasa constituenda pluribus egit Cl. Gorius in praefatione ad Inscriptiones Donianas pag. 82., & pag. 88., & 89. ubi tripodes hos ex ligno, auro, & argento factos refert. Unum ex iis adhuc exstantem consumatissimi operis ex marmore vidi Romae, pene neglectum in villa Peretta. Ratio, cur haec vasa inferne acuminata fingerentur, ea fuit, ut ita facilius humi in scobe defixa consisterent. Alia tamen ex religione petita ratio in caussa fuit, cur eo modo terminarentur; quum enim frequenter haec vasa in sacrificiis, ut in hac Lucerna, adhiberi solerent, ita inferne acuebantur, ut inter sacra terram minime contingerent. Ita Gyraldus *Syntag. Deor.* XVII. qui postquam retulit Romanos in sacris aqua fontis Juturnae, sicut Athenienses Callirhoe, usos fuisse; eam vero aquam super terram posuisse piaculum, & triste omen esse; ideo vas lato ore, & fundo angusto, in quo hauriretur, ne stare posset in sacris, adhibitum fuisse tradit: quod vas Donatus, & Servius II. *Aeneid. futile* vocant, & Lactantius *in Thebaid. Futile, vas est quoddam, lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Deae Vestae, quia aqua ad sacra in terra non ponebatur, quod si factum esset, piaculum erat.*

C.

ULYSSES VENTOS INCLUDENS.

REfertur hic ea fabella, quam Homerus *Odiſs.* K. recenſet de Ulyſſe ad Aeoliam appulſo, quo in loco, ab Aeolo ventorum Rege hoſpitaliter exceptus, adverſos ſuae navigationi ventos utre incluſos accepit.

Sed quando certe ego iter poſtulabam, atque admonebam
Dimittere, nihil quidquam ille abnuit, paravit autem deductionem,
Dedit autem mihi excoriatum utrem bovis novennis,
In quo procelloſorum ventorum ligavit flatus.
Illum enim promum ventorum fecit Saturnius,
Aut quidem mulcere, aut tollere quemcumque velit.
Nave in cava alligavit funiculo ſplendido
Argenteo, ut non quidquã praeterflaret, ne paulum quidem.

C I.

ORESTES FURIIS AGITATUS.

ORestes hic repraeſentatur, ſtricto gladio, poſt matris Clytemneſtrae, & Aegiſthi ejus proci caedem a Furiis apprehenſus, & exagitatus, quarum quidem cruciatus non prius evaſit, quam in Areopago indicto die abſolutus, atque expiatus fuit. Alii tamen ejus caſum aliter ſcribunt; qua de re videri poſſunt Euripides *in Oreſte*, & Servius *Aeneid.* II. v. 116. Sane improprie a Furiis Oreſtem exagitatum tradunt Poetae, quos inter Virgilius *Aeneid.* III. 331.

. . . . *ſcelerum Furiis agitatus Oreſtes;*

quum proprie Dirarum officium hoc eſſet, quae duae numero erant, quot in hac Lucerna referuntur: niſi mavis Furiarum nomen generale eſſe, atque triplex illud genus Dearum ultricium continere, caeleſtium nempe, quae Dirae; terreſtrium, quae Erinnyes; infernarum denique, quae Eume-

Eumenides appellantur, uti tradit Servius in III. IV., & XII. *Aeneidos*: quod etiam dudum docuerat Cicero III. *de Natura Deorum. In terris Furiae, in caelo Dirae, apud Inferos Eumenides.* Caeleſtes vero duas eſſe tradidit Virgilius praedicto Lib. XII. v. 845.

Dicuntur geminae peſtes cognomine Dirae,
Quas & Tartaream Nox intempeſta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas.
Hae Jovis ad ſolium, ſaevique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus aegris.

Oreſtis fata Romanae religioni neque aliena, neque fuerunt peregrina. Habuit quanquam Graecus quod conferret Romanae magnitudini, & Phrygum poſteri conſervationem ſuam Agamemnonis filio ſe debere profitebantur, quippe illius oſſa *Aritia Romam translata ſunt, & condita ante templum Saturni, quod eſt ante clivum Capitolinum juxta Concordiae templum*; uti Servius tradit *Aeneid.* II. v. 116. Rurſus vero Lib. VII. v. 188. ejus cineres ſcribit inter Romani Imperii pignora fuiſſe habitos. *Septem fuerunt paria, quae Romanum Imperium tenerent: acus matris Deum; quadriga fictilis Vejorum; cineres Oreſtis; ſceptrum Priami; velum Ilionae; Palladium; ancilia.* Haec tamen Romanae fortunae vadimonia in eo ambitu Romae quadratae, quae in Palatino erat, in ſumma ſacra via poſt Titi arcum ſervata fuiſſe contendit Cl. Blanchinius in notis ad *Palat. Caeſar.* Doctiſſimi viri ſententia teſtimonio etiam Varronis de L. L. Lib. IV. fulciri poſſet. *Cum Coelio conjunctae Carinae, ſed inter eas, quem locum Cerolienſem appellatum apparet, quod primae regionis quartum ſacrarium ſcriptum ſic eſt. Cerolienſis quarticeps circa Minervium: qua in Coelium montem itur, in tabernola eſt. Cerolienſis a carinarum junctu dictus Carinae: poſtea Cerionia, quod hinc oritur caput ſacrae viae.* Ceronius vero ab antiqua voce Cerus dictus eſt quae in veteri Italica lingua *Sacrum* ſignificabat, ut in *Acherontico* comprobavi. Sed Oreſtis cineres me in Palatium abduxerunt, ubi memoria ruderum Auguſtalium, quae me quadriennio fere tanta cum voluptate

detinuerunt, propositum argumentum pene ex animo deturbaverant.

Peculiari observatione digna est Lucernae hujus subscriptio, quae non tantum eo caracteris genere, quod nunc *corsivo* appellant, sed nexibus etiam adhibitis, quibus literae literis haerent, obsignata est. Adeo verum est, moris hujus originem ab ipsis veterum Romanorum temporibus repetendam esse.

C I I.

THESEI CUM EURYTO PUGNA.

PErcelebris est Centaurorum cum Lapithis rixa, quae in Pirithoi, & Hippodamiae nuptiis contigit: quum enim vino ferinum illud genus incaluisset, unus ex his Eurytus in novam nuptam impudenter impetum fecit; at a Theseo cum ceteris Lapitharum repulsi Centauri, pene omnes interemti sunt. Sic ille apud Ovidium *Met.* XII. v. 227.

> ...... *quae te vecordia, Thesens,*
> *Euryte, pulsat, ait; qui me vivente lacessas*
> *Pirithoum?*

Hoc Thesei facinus in ejus templo depictum describit. Pausanias *in Achaicis*. *Pugna erat Centaurorum, & Lapitharum, ubi Theseus Centaurum occidens spectabatur.* Quam tamen pugnam alibi caelatam referens Lib. v. ait: *Theseum bipenni Centauros obtruncasse.*

C I I I.

HEROS CUM MULIERE DISSERENS.

FOrtasse fabula, quae hic notatur ad Ulyssem pertinet, quum naufragus, atque nudus in Scheriae litore a Nausicaa proditus, cum illa colloquium habuit, atque ipsam Patris sui Alcinoi aedes describentem observabat. Sic Homerus *Odyss.* Z. Ulisses fessus columnae innixus est.

Graeci

Graeci quidem, & Phaeaces columellas in hunc usum aptas habebant. Itaque ibidem Nausicaa matris suae exercitia describens ait:

Pensum versat purpureum, mirabile visu,
Columnae recumbens.

Lira, quae e columella dependet, ad Nausicaam pertinet, quae paulo ante, quam Ulissem deprehenderet,

. . . . . . incoepit cantilenam,

ut ibidem tradit Homerus.

C I V.

OEDIPUS CUM SPHINGE.

OEdipi aenigma Sphingis solventis tabulam recitat Apollodorus *Bibl.* L. 3. p. 99. cujus locum pro Lucernae nostrae illustratione exscripsisse sufficiat. *Juno Sphingem ex Echidna, & Typhone parentibus ortam immisit. Haec muliebri facie, pectore, pedibusque, ac cauda leonis, & avis pennis praedita fuit. Quae quum a Musis aenigmata didicisset in Phyceo monte consedit: de quibus id unum Thebanis proponere solebat, quod est huiusmodi; quodnam esset id animal, quod una habet vocem, & quadrupes, bipes, ac demum tripes nascitur. Ad haec Thebanis oraculo renuntiatum fuerat, jam tum Sphingis incommodo, ac detrimento liberos fore, quandoque id aenigmatum, vel in unum saepe numero coeuntes, solvissent. Quid illud esset quaerebat; quod, quum minime reperirent, abreptum ex omnibus, unum devorabat: eaque de caussa plerique subinde peribant. Ac postremo ad eum modum Aemone Creontis filio perempto Creon aenigma homini soluturo, & regnum, & Laii uxorem se traditurum praeconis voce renuntiari jubet. Quod ubi ad Oedipi aures pervenit, ipse ita solvit, quod a Sphinge proponitur, aenigma: hominem esse ait; nascitur enim quadrupes infans, quod quatuor gradatur membris, grandior autem effectus homo, bipes esse incipit; senescens vero, ac demum tertio assumto pede, idest scipione, tripes dici potest. Ipsa igitur Sphinx ex arce sese praecipitem dedit, Oedipus idem regnum accipit.*

Sphin-

Sphingem marmoream eximii operis, & molis asservamus in nostro Museo. In qua observatione digna est armilla, qua collum exornatur, ex balaustiis efformata, qualem Dianae quoque Ephesiae veteres attribuerunt. Asservabatur ista in cavedio nobilium Santinelliorum, una cum tigride illa marmorea, quam ex Bacchei ruinis erutam demonstravit praeclarissimus Oliverius meus in notis ad *Marmora Pisaurensia*. Credibile est Sphingis etiam simulacrum ex ejusdem templi ruderibus prodiisse, quum inter donaria Diis offerri solita, etiam monstrorum imagines exstitisse comprobent chimaera, griphus, & alia hujusmodi simulacra, quae adjecta dedicationis nota Etruscis literis exarata inter pretiosiora antiquitatis monumenta computantur. Erant praeterea monstra haec divino sanguine progenita, praesertim Sphinx quae ex Orthro & Chimaera progenita genus suum a Tartaro deducebat.

Utinam tot alia antiquae Pisaurensis magnificentiae monumenta, quae festinanter nimis e terra prodierunt, tempora tua expectassent FRIDERICE Princeps amplissime; non enim doleremus tantam scriptorum Marmorum copiam in ipsis murorum substructionibus tumultuario opere congestam, aeternum periisse; credo enim regalem illum Genium tuum qui publico literarum bono natus est, eximia illa veteris magnitudinis nostrae testimonia fuisse excepturum iisdem munificentiae subsidiis, quibus humilem hanc testarum supellectilem consovisti. Si tamen majora interierunt, utantur saltem clementia tua, quae prodeunt etate nostra, atque laetentur in tua tempora incidisse.

IN-

INDEX RERUM.

Numeri Romani praefationis paginas indicant; arabici vero notarum.

A

Achilles 62.
Ejus templa. ibid.
Adorandi mos antiquissimus. IV.
Aesculapio sacer serpens. 44.
Aesculapius sinistram opertam habet. 45.
Ampelus Bacchi minister. 34.
Apollinis Genius. IX.
Ara maxima. 6.
Arae duę in sacris plurium Deorum. IV.
Aris serta suspendi solita. 55.
Arietarius. 25.
Aries quomodo ageretur. 26.
Augusti nostri appellatio quando in usu esse cæpit. 54.

B

Bacchans. 33.
Bacchi coniux; illius nomen. 33.
Orgia V. Orgia.
Pompa. 34.
Symbola. 38.
Tropaeum. 36.
Baccho capra sacra. 36.
Larvæ tributæ. 37.
Bacchus ακρατοφορος. 31.
Αἴθιος. 32.
Corniger; cur ita effictus. 30.
Lenaeus. 33.
Nictelius. 31.
Phausterius. 31.
Bullae fictiles; earum usus. 38.

C

Calathus statuis cur additus. 39.
Callirhoes fons. 63.
Capra sacra Baccho. 37.
Capricornus. 48.
Carthaginis nomen & etymon. 22.
Symbola. ibid.
Centaurorum cum Lapithis pugna. 68.
Centurio. 27.
Censio equitum differebat a transvectione. 25.
Cereri tributus calathus. 3. 4.
Ceriolaria. II.
Ceronius Cerus. 67.
Clypei Argolici rotundi. 60
Iis etiam Etrusci usi. 61.
Positi in honorem clarorum virorum. 51.
Columbae Veneri sacræ. 16.
Concha mortis symbolum. 13.
Veneri sacra. ibid.
Comi vera imago. 42.
Cornu potorium Etruscum. II.
Coronæ gemmatæ. I.
Ingentis magnitudinis ad ostentationem. 54.
Crepalocomus quid. 42.
Cupidini sacer Lepus. 16.
Cupidinis imago. 17.
Et Psyches nuptiæ, mortis symbolum. ibid.
Cybeles duas aras habuit in sacris. IV.
Cyclopes; eorum nomina. 29.

D

Diana mater. V.
Dii gigantæa statura. 48.
Diomedes, & Ulysses Palladium furantur. 64.
Diotae tripodi impositae. 65.
Cur acuminatæ fingerentur. ibid.
Dirae. 67.

E

Ephippii usus quando cæperit. 23.
Epulones. 46.
Equitum censio & transvectio. 24. 25.
Etrusca Lucerna in agro Tuderte inventa. 11.
Etrusci usi clypeis rotundis. 61.

F

Fata. 43.
Fauni. 35.
Faustæ precationes. IV. V. 58.
Figlinæ Pisaurenses. VI. VII.
Fortuna. 42.
Furiæ nomen quam late pateat. 66.
Futile vas. 65.

G

Gabinus cinctus. VII.
Genius sub serpentis specie cultus. 43.
Apollinis. IX.
Bacchi. 32.
Deorum; nudi sacrificant. 3.
Domesticus. 41.
Etrusci operis. 30.
Exercitus. 21.
Herculis. 11.
Martis. 21.

Graecorum ad Trojam appulsus. 60.

H

Hercules duplici gemmato diademate. I.
Evandrum literas docuit. 9.
Oscillorum inventor. 2.
Musagetes. 9.
Μηλων cur ita dictus. II.
Herculi nudo capite sacra fiebant. 5. 7.
Sacra laurus. 2.
Herculis cultus apud Sicyonios. 7.
Expiationes. 3. 4.
Genius. II.
Simulacrum hermeum. 10.
Templum. 9.
Tropaeum. 10.
Hermae cur ita effecti. 10.
Hermea simulacra virorum illustrium. 59.
Heros sacrificans. 65.
Heroes ex biga pugnabant, 61.
Herois caput nimbo circumdatum. 61.
Homerus divinitate donatus. 58.
Homeri poemata quando edita. 59.
Hygia. 44. 45.

I

Ilithyia. IX. 47.
Inferiae. VII.
Juppiter Cenaeus. 7.
Inventor. 8.
Victor. VII. 8.
Jovi obtestricatur Mercurius, vel Vulcanus. VIII
Triton junctus. ibid.
Jovis Elei templum. 64.
Juturnae fons. 65.
Juvalitia Etruscorum. 45.

L

Lapitharum & Centaurorum pugna. 68.
Laternae operculum. II.
Larvae scenicae. 37.
Lauri folia pro strenis data. V.
Laurus sacra Herculi, & cur. 3. 6.
Lectisternia. 45.
Lenae quid sint. 33.
Lepus Cupidini sacer. 16.
Lucerna Etrusca. II.
Lucernae marmoreae an fuerint. III.
Lucernarum subscriptio. IV.
Tripodes. II.
In sepulchris usus. 17.
Lucernis in triumphis Urbs illuminabatur. 51. 57.
In votis Imperatorum. 52.
Lucina. 47.
Lupus Marti sacer. 19.
Illius rictus contra maleficia. ibid
Lycurgus ex Jonia Homeri opera attulit in Graeciam. 59.

M

Mars armatus. 18.
Gradivus, cur ita dictus. 19.
Marti sacer Lupus. 19.
Martis symbola. 21.
Mercurius Jovi obtestricatur. VIII.
Minerva Alcide. 9.
Monstrorum animae in inferno vivunt. 6. 21.

N

Nimbus quid. 61.
Achilli tributus. 62.
Nuptiarum die coronabantur januae. 16.
Spargebantur nuces. 17.

O

Oedipus sphyngis aenigma solvit. 69.
Orestis furiae, & expiatio. 67.
Ossa Romae servata, & ubi. 67.
Orgia Bacchi. 31. 34. 36. 38. 40.
Oscilla; eorum usus in expiationibus. 2.
Bacchica. 37.

P

Palladii furtum. 64.
Palmaris Dea cur dicta Victoria. 49.
Paridis judicium. 15.
Passerii Acheronticum. II. 20. 67.
Roncallienses. IX. 22.
Penthesileae fatum. 63.
Pes Isidi sacer. 47.
Etiam Saluti. 47.
Pileus Phrigius Trojanis pro galea. 63.
Observatur etiam in Italicis nummis. ibid.
Vulcani quid significet. 29.
Pisaurenses figulinae. VI. VII.
Pisaurensium Sacer Lucus. 15. 47.
Pisauri Principes Sfortiadae. 26.
Pisistratus Homeri poema edidit. 59.
Pocillatores vulgo dicti quid sint. 41.
Pomona. 38.
Priapus. 40.
Protesilaus primus ad Trojam. 60.
Pupae Veneri donatae quid fuerint. 15.

R

Romulus conditor. 19.
Rudiarius. 28.

S

Sacrificabant Romani velato capite, & cur. 5.
Aperto vero Herculi, & Saturno. ibid.
Sacrificantes Romani aqua Juturnae fontis utebantur. 65.
Athenienses fontis Callirhoes. ibid.
Sacrificant nudi deorum Genii. 3.
Heroes Seminudi. 5.
Sacrificaturi prius se lavabant. 4.
Salus ab Etruscis Juvalitia dicta. 45.
Saturno nudo capite sacra fiebant. 5.
Satyri. 35. 36. 40.
Scamandri imago. 60.
Scipio eburneus. 28.
Scutum coriaceum. 24.
Ser-

Serpens divinitatis symbolum. 43.
Saluti & Aesculapio tributus. 44.
Sileni. 36.
Simulacra antiquissima. IX.
Sphingis marmoreæ simulacrum. 70.
Strenæ. IV.
Inter eas lauri folia. V.

T

Telesphorus. 45.
Terminalia. 40.
Theseus. 68.
Thuris adolendi forma. 56.
Transvectio equitum & censio male confunduntur. 25.
Tripodes diotis suppositi. 65.
Lucernis suppositi. II.
Triton Jovi junctus. VIII.
In martis casside. 21.
In Palladis galea. VIII.
Triumphi etymon. 57.
Solemnitas in operibus etiam fictilibus expressa. 51.
Tropaea. 55. 56.

V

Venus ab Horis coronata. 12.
Concha excepta. 13.
Lavatur pluries. 14.
Veneri columbae sacrae. 16.
Donabantur pupae a nupturis. 14.
Veneris symbola. 16.
Vesta duplex. VI.
C. Vibii Triboniani Aug. L. villa. IX.
Victoria. 48.
Anni novi auspicium. 50.
Trajani. 51.
Palmaris Dea dicta. 46.
Sacrificans. 56.
Quo modo pingebatur. 51. 55.
Vitis centurionatus insigne ab Etruscis sumta. 27.
Vitra quomodo pingerentur. 53.
Vitrum operis admirabilis. 56.
Ulysses & Diomedes Palladium surripiunt. 64.
Ventos utribus includit. 66.
Cum Nausicaa colloquitur. 68.
Votorum quinquennalium & decennalium origo. 52.
Vulcani symbola. 28.
Vulcanus Jovi obtestricatur. VIII.

LUCERNAE FICTILES MUSEI PASSERII.

VOLUMEN TERTIUM.



Io. Bapt. Passerius del. V. F. S.

SUMTIBUS
ACADEMIAE PISAUREN SIS.

PISAURI; M. DCC. LI.
IN AEDIBUS GAVELLIIS
SUPERIORUM PERMISSU.



Jos. Menab. del. *P.A. Pazzi sc.*

F R I D E R I C O
S. R. E. PRESB. CARDINALI
L A N T E
PRINCIPI EMINENTISSIMO

ACADEMIA PISAURENSIS.



G*Raviter ſaepenumero conqueſti ſunt Eruditi Viri quod tandiu tertii voluminis Fictilium Lucernarum Muſei Paſſerii editio*

* 2 *produ-*

producceretur; Nos vero non ſine quadam Dei Opt. Max. providentia & conſilio factum putamus, ut volumen illud, cui quinto ab hinc anno ſupremam manum Paſſerius impoſuerat, Typographi tarditate niſi proximis ſuperioribus diebus ad umbilicum perduci non potuerit; ita enim datum eſt, PRINCEPS EMINENTISSIME, illud TUO nomine inſcriptum TIBI praeſenti exhibere, reditumque TUUM poſt quatuor ferme annos in hanc Urbem TUI amantiſſimam, velut epocham nobis omnibus fauſtiſſimam, hoc obſervantiae noſtrae, Tuorumque in nos meritorum teſtimonio publice ſignare. In omnium quidem noſtrum votis erat aliam etiam,

& quae

& quae populi animos magis percelleret, officii nostri significationem dare, solennemque Academiae conventum in TUAS laudes agere; memorant enim adhuc plerique qua voluntate, quo ingeniorum ardore summa in nos beneficia TUA praedicaremus, quum, quartus jam est annus, marmorea imago TUA ex Senatus Consulto honoris pietatisque caussa celeberrimo curiae in loco collocata dedicaretur. At si per aestivas ferias id nobis in praesentia non licet, par esset profecto & aequum, nos, & vetera TUA benefacta hic recensere, & ea praesertim nihilo minora, quae, posteaquam TE Romam ad amplissimae dignitatis gradum sustinen-

dum

dum BENEDICTUS XIV. *Pontifex Max. revocavit, pro ſalute, dignitate, & utilitatibus noſtris fortiter ſapienterque geſſiſti, quum liberam jam ab externis perturbationibus civitatem domeſticae fere illam everterunt; adeo ut TE & praeſentem & abſentem, velut numen aliquod propitium habuerimus ſemper. His TUIS in nos immortalibus meritis illud etiam accedit non modo publicum, verum etiam praeclariſſimum & pene divinum, ad animos enim excolendos pertinet, ad ingenia acuenda, ad patriae decus atque ornamentum, perſpectiſſimam nempe caritatem, qua Academiam noſtram complexus es. Quod ſi reliqua omnia praetermittere nos cogit*

ſingu-

ſingularis modeſtia TUA, hoc tamen utpote perpetuum atque perenne ſilentio praeterire non poſſumus; continenter enim fructum ex eo maximum capimus in praecipua ea, qua nos proſequitur, benevolentia JOANNES FRANCISCUS STUPPANIUS in hac adminiſtranda provincia merito TIBI ſuffectus, cui Academiam noſtram ita commendaſti, ut majore ex ſtudio magiſque ex animo commendari non potuerit. Sane eximiam illius in nos voluntatem, non minus animo ipſius praeſtantiſſimo atque optimo, & ad politioris humanitatis ſtudia mirifice propenſo adſcribimus, quam patrocinio TUO, mutuaeque, qua inter VOS devincti eſtis, amicitiae.

Quae

Quae quum ita ſint, EMINENTISSIME PRINCEPS, hilari fronte novum hoc obſequii noſtri pignus excipe, ut quibus jam auſpiciis hoc diuturni laboris opus fuerat inchoatum, iiſdem & abſolutum fuiſſe ſumma cum voluptate gloriemur. Piſauri A. D. Kalend. Sextil. MDCCLI.

JOANNIS



Jos. Menabuonj del. *Vin. Fra: scul.*

JOANNIS BAPTISTAE
PASSERII J. C.
DE AMPULLA SEPULCRALI
CIRCENSEM POMPAM REFERENTE
DISSERTATIO.



DUM antiquis lucernis, quae tertio hoc volumine prodituræ erant, illustrandis navarem operam, atque illas praesertim manu versarem, quae veterum Romanorum ludos repraesentant, nunciatum est in suburbano ad pontem Isauri sepulcrum defossum esse, in quo gutti quidam vitrei, & praeterea ampulla major graphice exornata prope humati hominis ossa occurrissent. Confestim ad locum advolo, omniaque altius eversa, nihilque nisi locum invenio.


Percontor de ampullis, quae mihi ſtatim a foſſore offeruntur, guttos geminos vitreos penitus vulgares, & phialae vitreae fragmentum. Cur ita deperiiſſet interrogo. Ait, villicum, qui pecuniam expectaſſet, ubi illam offendiſſet in aera expoſitam ludibrio confregiſſe, tanquam ſibi a fortuna illuſum. Tunc ego, proh facinus! Et voti compos fuiſſet factus, ſi tam elegans vaſculum mihi integrum praeſervaſſet. Quod interim unicum fragmentum ſuperfuerat occupans, atque illud contemplatus video totum fere Circi aſpectum in ſuperiore linea contineri, in inferiori vero decurrentes quadrigas, quae, ſpatio corruptae partis ſupputato, quatuor eſſe debuerant. Pergratum vero mihi fuit qualecumque hoc ampullae fruſtum viſere, & obtinere, quippe quia ingens mihi ſuborta ſuſpicio eſt non Romanos ludos hic contineri, ſed noſtros patrios, neque alium Circum hic eſſe expreſſum, quam noſtrum Piſaurenſem, cujus opinionis rationes ſingillatim ſuo loco afferemus. Unum tamen, quo jacturae dolorem ſolemur, illud eſt, quod, ut puto, averſa ampullae pars eumdem aſpectum, qui in hoc fragmento ſupereſt, continebat, nam prope metas video alterius arboris ramum, non ſecus ac in extrema hujus faciei parte, quae hinc inde ab artifice graphiario veluti pro terminis totius Circenſis apparatus diſpoſitae erant, ut utraque facies parem ornatum praeſeferret.

Phiala ex vitro conſtat, ipſoque duriſſimo, pellucido, niſi quod aliqua ſui parte tunicula verſicolore a vetuſtate contracta non inficitur magis, quam exornatur. Forma ventricoſa, & fere rotunda eſt, cujus orbis altitudine tres uncias aequat, collo anguſto praedita erat, ut ex veſtigio liquet. Lamina vero adeo ſubtilis eſt, ut vix credam opus eſſe adventitium, quin potius ab artifice Piſaurenſi conflatum videtur, qui enim tanto artificio haec vaſa excolebant, ut peregre efferrentur, nunquam tam fragili, tenuique vitro laborioſiſſimum opus conſignaſſet; imo vero eo conſilio ducta videntur, ut ex officina in ſepulcrum recta contenderent, cujus horror tenuitatem compenſaret. Hoc ſaepe in aliis ſepulcris circa effoſſis, unde ampullae illae erutae ſunt, quas in Acherontico publicavimus, ſaepe obſerva-



I. B. Passerius. Del.　　I. Franceschini. Incisit.

ſervatum eſt, cum enim inter eorum egeſtiones ceterarum ampullarum vitrea fragmenta extremae tenuitatis animadverteremus, omnium judicio comprobatum eſt, tam fragilia vaſcula peregrinationem pati non potuiſſe, quae, ut ita dicam, flatu vel ipſo laederentur, atque ipſa motus difficultate Piſaurenſem patriam profiterentur. Inter haec vero memoratu dignae ſunt ampullae aliae ex eodem loco ſuperioribus annis defoſſae, & in meo muſeo aſſervatae, in quarum infima parte ingentibus literis elevatis vitriariae officinae artifices per ſiglas indicantur. Sunt autem hujuſmodi,



quae ſphragiſmata publicare libuit, quia hujuſmodi ſtigmata vitrea perraro admodum occurrunt, nam prae ſui tenuitate facilius interierunt. Accedit coeli noſtri benignitas, atque hujus opificii patientiſſima, aetate noſtra ſumptuoſo experimento comprobata in ingenti, ac laudatiſſima vitriaria officina, quae apud nos exercetur. Suppetit fluviatilis ligni copia, herbarum praeterea ad vitri materiam educendam ſumma feracitas, portuoſum denique flumen tranſvectioni ampliſſimum, ut nullus dubitem, quin eadem com-

moda, quae aetate noſtra id artificium hic excitarunt, florentiſſimis, atque opulentiſſimis temporibus poſthabita ſint.

Pergo nunc ad vitri noſtri parerga illuſtranda; Circum in primis, in quo ipſum Piſaurenſium ſtadium repraeſentari vehementer ſuſpicor. Ipſum vero apud nos extitiſſe inter urbis moenia, & littus maris multa ſuadent. Conſtans in primis apud antiquarios noſtros fama, quam ipſi ſtantibus adhuc veſtigiis imbibitam ſcriptis conſignarunt, a quibus hauſit, quae de illo teſtatus eſt celebratiſſimus noſter Oliverius Marm. Piſaur. nota IV. pag. 13. quanquam familiari apud antiquos tranſpoſitione Amphitheatrum appellent ob promiſcuum uſum decurſionum atque venationum, quae in illis exhibebantur.

Roborat non mediocriter hanc famam inſcriptionis fragmentum, quod e cujuſdam maceriae ruderibus erutum apud me nunc aſſervatur, in quo mentio eſt de agitatore factionis ruſſatae; publicatum autem eſt inter marmora Piſaurenſia num. CXLVII. Praeterea ſupereſt adhuc prope arcis foſſas ingentis muri veſtigium, quod ad Circum pertinuiſſe conſtans opinio eſt, imo facile ad carceres pertinuit, ut infra demonſtrabitur. Rem vero aſſerit nummus maximi moduli Conſtantii Sfortiae, olim Piſauri Domini, in cujus averſa parte ſchema hujus urbis expreſſum eſt cum propugnaculis ab ipſo additis ſuperpoſito elegantiſſimo lemmate omni politiori ſeculo digno, *Conſervatori urbis ſuae*. In eo vero terrae ſpatio, quod inter urbem, & mare protenditur maniſeſtiſſima in eo nummo veſtigia ſtadii obſervantur, cujus initium nempe a plaga Orientali, ejus vero orbita, ſeu converſio circa portam Salinarum extendebatur, hoc eſt ad Occidentem, quam obſervationem in Circis ſervatam conſtat ex Caſſiodoro lib. III. variarum Epiſt. LI., & ex veteri epigrammate apud Bulenger. *De Circo*:

Circus imago poli formam cui docta vetuſtas
Condidit & numeros limitis aetherei,
Namque duodenos oſtendunt oſtia menſes,
Quaeque meat curſim aureus aſtra jubar.

& alibi in eodem carmine:

Metarum cogunt circumdare curſibus orbes,

Nam-

Namque axes gemini ortum obitumque docent.

& Isidorus lib. XXVIII. 30. *Metarum appellatione prope terminum, ac finem mundi indicare volunt ab eo, quod aliquis emensus finis est sive ad testimonium orientis occidentisque solis.* Et Joannes Antiochenus *flexus metae, quae ad carceres orientem, quae ad fundum occidentem designat.*

Cum vero Franciscus Maria Ruvereorum Principum I. pomoerium ex ea parte protulisset, nactus sedilium fundamenta novae cortinae penitus accomoda, nova maenia illis superinjecit, quod vero reliquum fuerat, ne fossas impediret, penitus evertit.

Et revera quanquam haec testimonia deficerent, nemo tamen dubitaret splendidissimam hanc Romanorum Coloniam sumptosissimis olim aedificiis excultam communibus hisce ornamentis caruisse, quum praesertim Circensia non ad voluptatem modo, sed ad religionem summopere pertinerent. Sed ni fallor, ab ipso urbis exordio facile est Pisaurenses ad patrios ludos exercendos stadium sibi constituisse; cum enim a Pisaeis cultoribus constituta essent, ut nomen ipsum videtur indicare (quod etiam indicavi in meo de nominibus urbium libello) credibile fit, gentem certaminibus famosam pristinum institutum retinuisse, constitutoque sibi ad moenia urbis Hippodromo, patrio more ludos Olympicos celebrasse, ut etiam indicavi in *Lithogoniae* lib. I. Illud quoque observandum est, quod templum Jovis ita locatum erat in ea urbis parte, ut ipsi Circo immineret, cum enim Jovi ea certamina sacra essent ad similitudinem Olympici, conveniebat, ut e templo ludos prospectaret, & Hieronicarum coronas facili processu in sinum reciperet.

Pergo nunc ad vitri nostri ornamenta. Primum quod hic observo, sunt geminae palmarum arbores, forte ut opinor oleastri, seu lauri aut alterius sacrae, unde coronae sumerentur, quae in ipsius Circi extremitate consitae ad instar metarum sunt, & totum spatium cursui designant; quod primum argumentum mihi evincit descriptum in vitro Circum primaevam illam simplicitatem praeseferentem nobis potius adscribendum esse, quam Romanis, in quorum

rum

rum ſtadiis nunquam arbores conſtiterunt. Arbores vero, ſeu arborum truncos pro metis aliquando conſtitutos probatur Homeri auctoritate: Illiad. xxiii., ubi Circum deſcribit ab Achille conſtitutum.

Metam autem dicam valde manifeſte, neque te latet.
Stat lignum aridum quantum ulna ſuper terram, vel quercus,
Vel tiliae, quod quidem non fatiſcit imbre
Lapides autem hujus utrimque firmati ſunt duo albi
In anguſtiis viae, planus autem Hippodromus Circum.

Eandem temporum heroicorum ſimplicitatem ſequutus eſt Statius Thebaid. 6. Circum deſcribens, in quo, cum funus Archemori celebraretur, decurſio habita eſt.

Metarum inſtar erat hinc nudo robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc ſaxeus umbo
Arbiter agricolis, finem jacet inter utrumque,
Quale quater jaculo ſpatium ter arundine vincas.

Quin & in Ponto confixa arbor metae inſtar ad navium curſum in certamine praeſignandum apud Virgilium Æneid. v.

Hinc viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit, ſignum nautis, pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.

Sed ne adeo antiqua perſequamur, uno contenti ſimus Romano exemplo, quum in Circo maximo ligneas metas extitiſſe uſque ad Claudii tempora ex Svetonio accipiamus. In ejus vita cap. xxi. *Circo Maximo marmoreis carceribus, auratiſque metis, quae utraque, & tophina, & lignea antea fuerant exculta.*

Succedunt metae ovis deſuper ornatae & prope arborem conſtitutae, quae ubi converſio facienda eſſet, deſignabant. Haſce ego haud antiquas in hoc Circo fuiſſe reor, ſed tantummodo ob Caſtorum religionem novitia obſervatione adjectas, quod uno tantum in loco appareant, quum ceteroquin ſpinae extremitates pari proceritate claudere debebant, quemadmodum in lucerna noſtra tab. xxvi. inferius obſervatur. Hic vero inter ſpinae parerga longe alium finem praeſtant, quam in extremitatibus, nam praeter metas arbor, ut apparet, conſita erat, ſeu perenniter vireſcens, ſeu per ſingula ſpectacula renovata. Metae vero non unae eri-

gebantur, ſed ternae. Hoc probatur auctoritate Caſſiodori Var. lib. III. 51. *Ipſae vero metae ſecundum zodiacos decanos ternas obtinent ſummitates.* Quod etiam teſtimonio marmorum antiquorum comprobatur. Ova metis imponebantur ob Dioſcuros decurſionum praeſides. Tertullian. de ſpectacul. cap. VIII. *Ova honori Caſtorum adſcribant, qui illos ovo editos credendo, de cycno Jove non erubeſcunt.*

Metis ſuccedit tropaeum, illudque ut conjicio ex galeri forma Dacicum, ex quo non temere divinamus circenſem pompam hic exhiberi ex illis, quae bello Dacico ſub Trajano confecto celebratae ſunt, ut in ejus vita narrat Dio. *Trajanum Romam repetentem plurimae barbararum gentium legationes, atque etiam Indorum legati adiere. Spectacula magnifica per centum & viginti dies Romae edidit.* Quae ſpectacula dum Romae exhiberentur, coloniarum quoque cives pro viribus imitatos fuiſſe non dubito, quadam aemulatione devotionis erga principem & exercitio dignitatis, ut a Romanis exorti ſtudia Romae in ſeſe referrent.

Succedunt columnae ſacello intermedio conſtitutae, quibus ſimulacra inſtant. Has illas eſſe reor; quas Tertullianus de ſpectaculis cap. VIII. Seſſias, Meſſias, & Tutelinas vocat, illaſque in circo collocat. *Columnas Seſſias a ſementationibus, Meſſias a meſſibus, Tutelinas a tutelis fructuum ſuſtinent, ante has tres arae trinis Diis patent magnis, potentibus, valentibus.* Harum poteſtatum in Circenſibus peculiaris ratio habebatur, ut etiam conſtat ex Plinio lib. XVIII. 2. *Sejam a ſerendo, ſegeſtam a ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra in Circo videmus; Tertiam ex his nominare ſub tecto religio eſt.* Ex quibus verbis colligitur gemina fuiſſe illorum ſimulacra, quot hic in columnis impoſita apparent. Ratio autem cur in circo ea numina coli deberent, ea fuit, quod circus idem quaedam veluti coeli, terraeque, atque totius naturae imago haberetur, cui propterea ſubtili quadam ſimilitudine omnes circi partes referebantur. Hinc voluere, ut numina illa, quibus ferendorum, ac ſervandorum fructuum poteſtas tribuebatur, quod terrae, ac naturae potiſſimum officium, in ipſo orbis ſimulacro praeſiderent. Fuere praeterea & aliae columnae

in

in circo, quibus victoriae imponebantur, ut marmora insculpta luculenter ostendunt, neque ego a suspicione abhorrerem totidem hic victorias columnis imponendas sibi artificem proposuisse, quas tamen nimia festinatione vix adumbratas in ambiguum nobis reliquit.

Mediam spinae partem occupat sacellum opere structorio minime confectum, sed ut ex ipsa structura apparet ex tabulis una consertis compactum, cujus aspectum crates concludit, ut minime consistens, ac stabile, sed temporarium fuisse videatur, ut in illo sacra patria pene universa, quae thensis in circum efferebantur, locari, & deponi potuissent. Hujus tamen aediculae architectura, quae nec Romana, nec Graeca est, ab Etrusca disciplina omnino petita videtur, nam ejusdem formae sunt Deorum Lararia, seu foruli, in quibus domesticos Deos, & qui centies in picturis Etruscis occurrunt, ut, Deo dante, quum publicabuntur, demonstrabimus. Credo equidem forulos hosce (scrinia magis apte dixerimus) ea fuisse, quae thensis imponebantur, atque pompatice in circum deducebantur, nam inde non longe abeunt, quae in nummis occurrunt, atque omnium una perfecte congruit, quae habetur infra tab. xL., nisi quod in ea pro acroteriis palmae infixae sunt, at in vitreo schemate simulacra; nec male forsan hujus ferculi formam ab Etruscis accitam conjecimus, unde etiam & thensae nomen, uti indicavimus in notis ad praefatam lucernam tab. xL. in quibus cum multa de illarum usu dicta sint, hic omittimus. Ideo vero molem hanc, thensam potius, quam aediculam in circo constantem repraesentare judicavimus, quia in ipsis aediculis semper aliqua numinum simulacra consistentia figurantur; haec vero, quum crate operiatur, thensae imaginem nobis suggerit, in quibus, praeter Deorum simulacra, circumferebantur etiam arcana quaedam urbium pignora, quae *Deorum exuvias* vocat Tertullianus, & quae revelari religio erat. Thensa quoque in lucerna expressa lateribus undique clauditur perforatis, unde Dii ab hominum aspectu submoti pompam veluti valerent prospectare.

Ultimam circi partem occupat ligneus suggestus, unde

per

per ordines dispositus populus prospectat in campum. Ordines duos tantum in hujus vitri angustia expressit artifex, non ut totidem numero fuisse credamus, sed ut plures, pluresque indicaret. Qui vero in primo ordine spectantur, citra dubium, sunt Agonothetae, seu ipsius urbis magistratus, qui spectaculum edit, de quo minime dubitare nos patitur insignis palma desuper collocata, qua hieronycae donarentur, de quo victoriae ornamento multa sparsim in notis ad lucernas dicta sunt. Erant vero in singulis circis e regione carcerum, & contra metam occidentalem, ubi septimum spatium perficiebatur, podia, seu suggestus, in quibus agonum judices de victoria certantium decernerent. In Olympico quidem, unde nostri imago a primaevis colonis facile ducta est, judicum sessio e structili opere constabat, quod supra aggerem stadii attollebatur, ut ait Pausanias in Eliacorum posteriore: *Ipsum certe stadium terrae agger est, & in eo ludis Praefectorum sessio extructa.* Haec vero sessio aliqua sui parte superstes ceteris omnibus fere dirutis, spectatur adhuc in circo Caracallae, quo, cum Romae essem, saepius divertere solebam, tantaque ibi Romanae antiquitatis majestas animo obversabatur, ut populum Romanum consistentem, equosque, & quadrigas decurrentes mihi viderer intueri. Ceterarum vero urbium stadia, in quorum magnitudinem municipalis arca non adaequabat, aggere, & muro circumclusa, qualem nostrum fuisse vestigia ostendunt, gradus plerumque habuere ligneos, quos sedilium redemptores, seu privati sibi extruebant. Talia fuere Graecorum antiquissima, de quibus Hesichius: *Tabulata lignea, in quibus spectabant Athenis antequam Dionysii theatrum extructum esset.* Haec forma Romae etiam usurpata est sub Tarquinio Prisco lib. I. *Tunc primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. Loca divisa Patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Perpetua vero sedilia constituit primus omnium Gn. Pompejus, de quo Tacitus: *Gn. quoque Pompejum accusatum a senioribus ferunt, quod mansuram theatri posuisset sedem, nam antea subitariis gradibus scena ad tem-*

pus ſtructa, *ſed conſultum parſimoniae*, *quod perpetui manſura theatri ſedes locata ſit potius*, *quam immenſo ſumptu per ſingulos annos conſurgeret*, *ac ſtrueretur*. Quanquam vero & Romae, & ubique terrarum lapideae ſive amphitheatrorum, ſive & ſtadiorum moles erectae eſſent, attamen ubi occaſio poſtularet, ligneae excitabantur. Sic Auguſtus, tradente Svetonio cap. XLIII. *Edidit aliquando Athletas inſtructis in campo Martio ſedibus ligneis*. Anaglypha quoque Columnae Trajanae referunt nobis ligneam cujuſdam theatri imaginem repentino artificio in caſtris conſtituti. Demum ex Egloga VII. Calphurnii Siculi, qui floruit ſub Diocletiano, & Conſtantino A. A. conſtat aliud hujuſcemodi immenſae molis conſtructum in Foro Romano, ubi venatio ſumptuoſiſſima populo exhibita eſt. Alia quoque hujuſcemodi ſaepius inde excitata fuiſſe oſtendunt diptychorum ſculpturae, in quibus conſpiciuntur temporariorum ſpectaculorum imagines ex decuſſatis lignis compactorum, quibus reſpondet lucerna noſtra infra Tab. XI.

Inter diptycha hiſce ornamentis exculpta, memorandum laudis cauſſa exiſtimo, quod nuper doctiſſimus Hagenbuchius affert circa calcem operis de diptycho Brixiano, in cujus utroque laterculo ſub Conſulis ſella, hujuſcemodi theatra perfunctoria conſpiciuntur. Sub illis vero multiplices venationes, & venatorum joci, qui ſaltu ferarum rictus eludunt, qui crates urſis objectant, aut in caveas aufugientes morſus evadunt, quos beſtiariorum dolos meditanti mihi oportune occurrit eorundem deſcriptio apud Caſſiodorium Variar. lib. V. 52., cujus locum niſi longiuſculus eſſet, integre recitarem, quod graphice mihi videatur ſculpturam diptyci explicare, & una auctoritas commentarii ad inſtar eſſe.

Succedunt quadrigae, ex quarum veſtigiis circa vaſculi fundum adhuc intactum apparet, quatuor omnino totam lineam occupaſſe, nempe quot opportunae erant ad factionum numerum indicandum, per quas ad quatuor anni tempora fiebat alluſio, deputatis ad hanc ſignificationem coloribus, quae nomini reſponderent; novitio quidem invento, nam, ut ait Tertullian. de ſpectac. cap. IX., *Colores*

lores

lores ab initio duo ſoli fuere , albus , & ruſſeus : albus hyemi ob nives candidas , ruſſeus aeſtati ob solis ruborem voti erant .

Quanto tamen ſtudio haec munera populus proſequeretur, vel ex eo teſtimonio conſtat, quod duo petere ſolitus eſſet : *panem , & circenſes.* Imo ſpectacula oblectamento deſtinata adeo factioſis votis proſequebantur, ut in partes diviſi, rixas, & caedes veras pro ludicro certamine committerent. Hanc tamen inſaniam aliqua ex parte excuſabat ipſa populi voluptas, cui factiones illae ſerviebant, & diſcrepantibus ſtudiis ſcindebatur in partes illorum favore, qui ſudore, pulvere, & ſanguine curioſam turbam oblectabant. At longe ineptiora ſunt noſtris temporibus illorum vota, qui dum undique premimur calamitatibus, antiquae dignitatis, propriique immemores commodi, locatis in exteras nationes geniis, favorem ſuum proſcindunt, & votis dimicant hos, aut illos praeferentes, unde mala nobis obvenerunt. Ceterum vulgi tumultus, quos factionum favor excitabat, ita taxat Caſſiodorius memorato lib. III. Variar. ep. 51. *Hoc tantum dicimus omnimodis ſtupendum , quod illic ſupra cetera ſpectacula fervor animorum inconſulta gravitate rapiatur. Tranſit Praſinus , pars populi moeret , praecedit Venetus , & potior turba civitatis affligitur , nihil proficientes ferventer inconſultant , nihil patientes graviter vulnerantur , & ad inanes contentiones ſic deſcenditur , quaſi de ſtatu periclitantis patriae laboretur .*

Duo vero ſunt, quae mihi potiſſime hanc de ſtadio Piſaurenſi tractationem vehementer inſinuarunt. Primum quidem quod minime dubitem illud terrae ſpatium ſuperſtitioſis olim Athletarum coronis profanatum multo Sanctorum Martirum Sanguine fuiſſe decoratum, ut non ſine quodam religionis honore locum illum ſpectare ſoleam. Praeterea quod viderim Muſas Piſaurenſes antiquae traditionis tenaciſſimas circi ſchema pro inſigni vetuſtiſſimae Academiae uſurpaſſe addito lemmate:

COMMOTO PULVERE,

cujus quidem literarii caetus, quem viri ſummi omni aeta-

te decorarunt, sigilla superioribus diebus apud propolam per me inventa Academiae nostrae tabulario restituenda curavi. Quin & Feretrii principes inter emblemata, quae sibi adsciverunt, & ex quibus aedes sumptuosissimas, nummos, & regiam suppellectilem adornarunt, ex quo hujus urbis dominatum nacti sunt, circi metas in primis habuerunt cum inscriptione ΦΙΛΑΡΕΤΑΤΩ.

Haec vero nuper animo volvebam, cum principi sapientissimo, atque patrono Friderico Lantio de Ruvere, Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinali amplissimo, ob egregia in hanc urbem merita, marmoreum simulacrum in palatio ex S. C. solemni ritu dedicatum est, nam inter ceteras coeremonias, & Academiae nostrae plausus, hymnum recitare jussus sum, quem ab antiquis Pisaurensium circensibus auspicatus, totam fere circi nostri formam, ac pompam ita lusi:

DEll' Isauro, o forti Atleti,
Che fremete qui d' intorno,
Ecco venne il vostro giorno,
Giorno sacro al bel valor.
Ecco aperto è l' ampio stadio
Fra le mura, e il mar vicino,
Ve legò già il Greco pino
Il Piseo abitator.

Què gran spazj, e quelle arene,
Quelle mete, e què gran chiostri
Il sudor degli avi vostri
Generoso già inaffiò.
Ma quel bel sudor medesimo,
Il desio di bella gloria
All' onor della vittoria,
Ed al serto già guidò.

Leggo incisi in su què marmi
I vostr' avi coronati,
Che ai begli anni fortunati
Glorioso il nome dier.
Lieti tempi, in cui dicevasi
Questi è l' anno di Cleone,
O d' Ipparco, o di Gerone,
Che la palma v' ottener.

Cento popoli ſedenti
Miro dentro in uno accolti ,
Più non veggio altro che i volti ,
Tutto il reſto aſcoſo ſta .
Nel ſuſurro confuſiſſimo
Una voce ſol riſuona ,
La gran palma , la corona ,
Numi eterni , in chi cadrà .

Splendon chiari infra le mete
I gran giovani Ledei ;
Fuman l' are ai patrii Dei ,
A Nettuno , e a Giove ancor ;
E dall' alto i ſerti ondeggiano
Giù ſoſpeſi dai delfini ,
Ed i tripodi divini
Mandan chiaro il lor ſplendor .

Cento lucide quadrighe
Ecco frena un ſol ritegno ;
Aſpettando il fatal ſegno ,
Che ne' litui impronto or è .
Quattrocento già nitriſcono
Deſtrier forti , che già in alto
Diſegnando il primo ſalto
Stan ſoſpeſi in ſu due pie .

Che s' aſpetta ? Il popol freme ,
Fremon le agili quadriglie ,
E già palpitan le briglie
Sovra il collo de' corſier .
Tutto freme , e tutto s' agita ;
Solo i giudici in ſua calma
Colla barba in ſu la palma
Stan ſoſpeſi in ſuo penſier .

Sanno ben , che manca ancora ,
Giuſta il patrio lor coſtume ;
L' alta immago di quel nume ,
A cui ſacro il corſo or è .
Verrà or or nell' aureo fercolo ,
Infra gl' inni , ed infra i voti ,
Fra gl' incenſi , e i ſacerdoti
Attirando i guardi a ſe .

Rive-

Rivedrem l' invitta fronte,
Onde uscì quel bel sudore,
Che il periglio, ed il timore
Tante volte ne scacciò.
Dei custodi numi patrii
Nella vostra compagnia
Il prendete; Ei fu, che pria
Tante volte vi serbò.

S' ei non era in guardia vostra,
Là del mondo in sul confine,
Miravate il biondo crine
Or del sole andare in mar.
O ne' Luchi della Scizia
Fitti a un olmo, o sotto un faggio
In barbarico linguaggio
V' udivate or nominar.

Ma cui diamo il sacro onore
Di condur la tensa aurata?
Chi alla biga coronata
Il pio freno reggerà.
Tutti i guardi a Te si volgono,
O alle muse, e a' saggi caro
Prence (*) nostro inclito, e chiaro,
Tuo l' onore oggi sarà.

Su su presto il lauro al crine
E l' ammanto trionfale
D' oro, e porpora sia, quale
Si conviene al grande onor.
Verrà un dì, che la Tua immagine
Questa tensa porti al corso,
Di cui regga il sacro morso
Un Tuo degno successor.

Ma già presso è il gran momento;
Cento carri all' erta omai,
Ecco il cenno; ma chi mai
Qua ne chiama ancora or me?
Ah i begli anni sen' andarono
Quando d' Elide le valli
Degli alati miei cavalli
Già frangea l' adunco pie. *Car-*

(*) Monsig. Gio: Francesco Stoppani Arcivescovo di Corinto, e successore di S. Em. nella Presidenza di questa Legazione.

Carpon or per l' arſe arene
Erbe amare polveroſe,
E le rote negbittoſe
Stridon moſſe nel ſuo gir.
Pur ſi ceda al dolce ſtimolo,
Ed il cocchio ancor ſi muova,
E con queſta eſtrema prova
Si coroni il vecchio ardir.

Scoppia il ſuon dal curvo argento,
E di carri inonda il campo:
Chi mai vide in Cielo il lampo
Più volubile rotar?
Deſtan fuoco i pie volatili,
Arde il ſuol; ma tutto involve
Nembo orribile di polve,
Che va il cielo ad oſcurar.


Sol che ſopra i lidi Eoi
Col naſcente raggio altero
Segni il lucido emisfero,
Tuo è il calle ov' or men vo;
Se lambir coll' aſſe lubrico
Or la meta mi darai,
I cadenti tuoi be' rai
D' Occidente adorerò.


Tu i ſiniſtri ambigui giri
Della terra, o ſcuotitore
De' cavai ritrovatore,
Reggi, o Conſo conſiglier.
E tu nuovo nume Indigete,
A lui ſacro è il bel cimento,
Reggi pur nel gran momento
Il divoto condottier.

Le ſeconde già traſcorro
Ardue mete, e il cocchio mio
Segna il primo calpeſtio,
Ed al ſerto or ratto va.
Nuovo Nume, a Te ſi rendono
E la palma, e la corona,
Che del circo la Bellona
Sul mio crin collocherà.


Ma,

Ma, ahi di me, che ſulla meta
Urtò l' aſſe, ed io ſconvolto
Sulla polve imprimo il volto,
Ed innanzi ognun mi va!
Cento carri feliciſſimi
Gite uguali ai grandi onori,
Che de' cento vincitori
Queſto è il giorno ſi dirà.






J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.







Giuseppe Menabuoni delin. M. Ant. Corsi sul.



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




Ios Menabuoni del. P. A. sc.



I·Menabuonj del.   Vin Fra. Scul.






Ios. Menabuoni del — *P. Æ. sc.*





J. Menabuoni del.   C. Faucci Sc.





Jo. Morabuoni del. V. Fra. scu.






I. Menabuoni del — P. A. Pazzi s.



J. Menabuoni del: J. Medici Scul:




I. Monabuoni del — *C. Faucci sc.*



J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.






J. Morabuoni del. *N.° Lebrun scul.*







EX MARMORE LONG. PED. II. IN MUS. PASS.


Ioseph Menabuoni del. *Ioseph Medici incid.*




I. Menabuoni del. A. F. scul.







J. Menabuoni del. *V. F. Sc.*




I. Menabuoni del: I. Medici inc:





Iof. Menab. del. P. Æ f.




I. Menabuonj del. *Vin. Fra. Scu.*

TOM. III. TAV. XXI.




J. Menabuoni del. C. Faucci sc.






J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.





Joseph Menabuoni del. *C. Fucci sculp.*




Ios. Menab. del.


P. Æ. f.




TOM. III. TAV. XXV.



J. Menabuoni del. C. Faucci sc.






J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.




I. Menabuoni del.

A. Pazzi f.






I. Menabuoni del. C. Faucci sc.



I. Menabuonj del.

V. F. S.



J. Menabuonj del. *C. Faucci Sc.*






I. Menabuonj del. V.F. Scul.



J. Menabuonj del. *C. Faucej sc.*



Jos. Menabuoni del. P. Æ. sc.




J. Menabuonj del. *C. Faucci sc.*






Pazzi sc. Jo. Menabuoni del.




I. M. d. Æ. f.




Ios. Menab. del. P. A. Pazzi sc.






G. Menabuoni disegnò G. Medici incise




Ioseph Menabuoni del. P. A. Pazzi sc.



J. Menabuoni del. C. Faucci sc.




J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.




Ios. Menabuonj del. *Ni. Lebrun sculp.*







I. Menabuoni del. *V.F. S.*




I.M.D. V.F.S.




I: Menabuoni del: I: Medici incidit





J. Menabuonj del. C. Faucci sc.






Joseph Menabuonj del. Joseph Medici Sculp.






Jos: Mena: del:

Vin: Fra: S:




...nabuonj del. V. Fran.ti Scul






J. Menabuonj del. C. Faucci Sc.



Ios. Menab. del. *P. A. sc.*

TOM. III. TAV. LII.




J. Menabuoni del. C. Fauci Sc.






J. Menabuoni del.   C. Faucci Sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci sc.







J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




Joseph Menabuoni del. N. Mogalli sculp.



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



J·Menabuonj del· *C· Faucij Sc·*




F. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



I·Menabuonj del·

Vi: Fra:fod.







J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.










I. Menabuoni del.

V. F. S.

TOM. III. TAV. LXIV.



Joseph Menabuoni del. Carol. Faucci sc.



G. Menabuoni del. C. Faucci sc.





I. Menabuoni del. V.F.S.



I. Menabuoni del. A. Pazzi s.



Io: Menabuonj del. Nic. Lebrún scul.



Jos. Menabuoni del. Jos. Gavelli sc.




F. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




Io. Menabuoni del.   A. F. sculp.




Ioseph Menabuoni del. *P. A. Pazzi sc.*




Ios. Menab. del. P. A. Pazzi sc.



J·Menabuoni del.: J·Medici Scul:







I. Menabuoni del. *C. Faucci Sc.*



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



Ios. Menabuoni del. Vin. Franceschini sculp.






I. Menabuonj del. V. Fta. Scu.





I.Menabuonj del.


V.F.Scul.




Io. Menabuoni del. *A. F. scul.*



TOM.III. TAV. LXXXI.




Io. Menabuoni del. A. Fiaschi scul.





I. Menabuoni del.   P. A. Pazzi f.




I. Menabuoni del. Vin. Fra. Scul.





del.


P. P. f



J. Menabuoni del.


C. Faucci Sc.






I. Monabuonj del. V. F. Scu.





ANI
ERACLIO
Io. Menab. del. et Scul.



J. Menabuonj del. C. Faucij sc.



I.Menabuonj del.　　V.F. s.




J. Menabuoni del. C. Faucci sc.



I. Menabuoni del.


V.F.S.




I. Menabuoni del. C. Faucci sc.




Io: Menabuonj del. Vin F. S.





EX TEGULA


Giuseppe Menabuoni disegnò — *Giuseppe Medici incise*




I·Menabuoni del.   A·F. Sculp.




Io: Batta: Passerius del. V.F.S.






Io Monabyoni del.

Nazzi sc.




J. Menabuoni del.   C. Fauccj Sc.






Iof. Menab. del. *P. Æ. f.*




Io. Menabuoni del. Pazzi sc.




I.Menabuonj del. V.F.Scul.




I. Mondbuonj del. V. F. Scul.



I. Menabuoy delin.   V. Fra. fecit.




I. Menabuoni del. V.F.I.




J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




Jos. Menabuoni del.   P. A. sc.



Joseph Menabuoni del.   Franciscus Bartolozzi sculp



Ios. Menabuoni del. *P. Æ. sc.*



I. Menabuoni del.　　　　V. F. Scul.



J·F·S·

NOTAE

I.

ROMA SEDENS.

QUUM nullum pene locum esse reputaverint veteres, quod proprio aliquo numine (quod Genium appellabant) careret, nil mirum si Urbi Romae tutela quaedam assignata videatur, quam proprio vocabulo *Deam Romam* indigitabant. Utar verbis Symmachi in relatione ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustos *Varios custodes urbibus, & cultus mens Divina distribuit. Ut anima nascentibus ita populis fatales Genii dividuntur.* Genium hunc Urbis custodem, quod ab illo ejus fata temperari crederent, alio etiam vocabulo nuncuparunt, nempe Fortunam Urbis, quod praecipue sequioribus saeculis obtinuit, nam hoc nomine simulacrum Constantinopoli dedicatum fuisse scimus. Fingebatur vero sub specie (quum contra Genius populi Romani, qui longe aliud erat, sub virili), & habitu plerumque Palladis, qui & Virtuti communis erat, ornabatur. Ratio vero cur Deae Romae ceterarumque urbium tutelis feminea species tribueretur, ea fortasse fuit, quod populorum genitrices, nutricesque haberentur. Hinc Corippus de laudibus Justin. I. Romam vocat:

Altricem Imperii, libertatisque parentem.

Quanta vero religione, & Romae, & ubique terrarum culta sit Dea Roma abunde testantur extantia adhuc marmora, & veterum testimonia, quae nummorum, gemmarum, denique & veterum lucernarum consensu confirmantur. At ingens mihi difficultas oboritur, cur Romani Romae Genium ceteris Diis circa cultum exaequarent, quod manifeste probat Prudentius contra Symmachum:

Delubrum Romae colitur nam sanguine & ipsa
More Deae, nomenque loci, ceu numen, habetur;
Atque Urbis, Venerisque pari se culmine tollunt

Templa : ſimul Geminis adolentur thura Deabus.

Quae religio ceteris etiam populis communis fuit, nam in marmore Gruteriano pag. CX. num. 7. Genius Coloniae Puteolanorum DEUS MAGNUS nuncupatur quod maxime omnibus Mythologiae legibus videtur repugnare; nam Genii inferioris ordinis post Deos omnes habebantur, eorumque putabantur eſſe adminiſtri, ex quibus triginta millia uni Jovi aſſignat Heſiodus Oper. & dier. verſ. 250. reliquis vero Diis magis minuſque pro numinis dignitate. Horum enim officium erat humana extollere ad Deos, & rurſus divina hominibus miniſtrare, ut a Platone in convivio luculenter oſtenditur; putabant enim veteres, quos inter Porphyrius apud Jamblichum de myſteriis *Intellectus puros ſeparatoſque habitudinem ad ſenſibilia non habere, neque preces audire.* Cum vero Genii tam Deorum, quam urbium, ceterorumqne locorum mediae cujuſdam naturae, corpoream inter atque ſpiritalem eſſe crederentur, par erat, ut longe minori cultu, tituliſque longe remiſſioribus, quam quod Diis conveniret, colerentur ab hominibus. Propterea, ut ſubdit idem Jamblichus de providentia, *Deorum providentia univerſalis eſt, Daemonum vero particularis circa res quaſdam, atque provincias.* Ex quo ipſi urbium cuſtodes, atque ipſe Romae Genius inter Semideos habebantur, quod clare demonſtrat Prudentius loco ſuperius citato:

Atque ut Roma tuos coeleſti ex ſede parentes;
Queis te Semideam jactant auctoribus ortam,
Perſtringam breviter.

Difficultatem tollit humana ambitio praeſertim Romanorum, quae religiones cunctas tranſcendit. Haec minime contenta ſi mortuorum manes in piorum ſedibus collocaſſet, in quo forte excuſabilis extitiſſet, coelo intulit, & veſtalibus, & flaminibus aſſignatis; per omnia Jovi exaequavit. Prudentius loco citato:

Hunc morem veterum docili jam aetate ſequuta
Auguſtum coluit, vitulo placavit & agno.
Strata ad pulvinar jacuit, reſponſa popoſcit.
Teſtantur tituli, produnt conſulta Senatus,
Caeſareum Jovis ad ſpeciem ſtatuentia templum;

Quod

Quod pridem notavit Tertullianus in Apologet. ſubridens, nullum jam diſcrimen relictum inter epulum Jovis, & ſilicernium. Haec & alia cum videamus, minime mirabimur, quod perturbatis Religionum menſuris, Genius Romae Diis magnis coaequatus ſit. Hinc Martialis lib. 12. epig. 8. illam Deam terrarum nuncupat

Terrarum Dea, gentiumque Roma:
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum:

a quo verba mutuatus videtur Frontinus de aquaeduct. *Regina & Domina orbis, quae terrarum Dea, gentiumque conſiſtit, cui par nihil & nihil ſecundum*. Et cum Jovem hominum Regem dicerent, Romam Reginam mundi nuncupabant. Rutilius in itiner. lib. I.

Exaudi Regina tui pulcherrima Mundi
Inter ſidereos Roma recepta polos;
Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum,
Non procul a coelo per tua templa ſumus.

I I.

ROMA GLOBUM A VICTORIA SUSCIPIENS.

QUum Romae cultus ſacer apud omnes fere populos longe lateque invaluiſſet, uti ſupra oſtendimus, minime mirari debemus illius imaginem toties in Lucernis eſſe repetitam, cui ſedenti ſtans Victoria globum, terrarum orbis ſymbolum, ſuggerit. Quapropter credendum eſt Lucernas haſce ad aedes publicas, privataſque illuminandas, vel in ipſis annuis natalitiis Urbis, vel cum victoriae alicujus ſolemnia celebrarentur, fuiſſe efformatas; fortaſſe praeſens minime promiſcui uſus fuit, ſed pro aedium ſacrarum frontibus illuminandis expreſſa; cum enim in manus meas obvenit, inſigni manubrio praedita erat, quod ſilente Lunam complebatur, in cujus orbe Romae, Palladis, ac Veneris capita prominebant rudiore ſtilo elaborata, quaeque declinantis jam ſeculi inſcitiam incuſabant. Sed eheu doleo ſemperque dolebo, in diuturna militum exterorum ſtatione coactus muſei ſedem immuta-

re, & quod miserabilius, quandoque ex sarcinis custodiendis accomodare, non modo multa corrupta, sed pleraque direpta interiisse non sine hujus III. Lucernarum voluminis detrimento, cui multa admiratione digna illius belli calamitas invidit.

Romam plerumque sedentem exhibent nummi. Sedentem aliquando & Victoriam. Ubi vero Victoria Romae adstat vel globum porrigens vel coronam inferens, perpetuo specie stantis efficta est, sive sui mobilitate ad alia semper capessenda, sive numinis reverentia. Cum enim Victoria bellorum arbitra esset, atque ut ait Orpheus in Hymno:

Imbellis judicans Trophaealibus de operibus.

Romae comitem illam posuerunt, Deam licet infernam, & Stygis filiam, eo quod nulla jam bella sine nutu Romano fierent, & nulla jam forent, quibus terrarum Domina novae potestatis accessione non cresceret. Quapropter victoriam ipsam, quam Jovi perpetuo adstare scripserat Hesiodus in Theogon. a Jove avulsam Romae Divorum matri copularunt. Hinc in nummis sequioris aevi templum Romae repraesentatur, cum simulacro ipsius de more sedentis, cui victoria stans lauream profert.

I I I.

ROMULUS, ET REMUS A LUPA LACTATI.

LUsit in eleganti hac Lucerna Romanus sigillator, auctorem gentis Romulum una cum fratre Remo a Lupa educatos, quos e mammis pendentes converso leniter rictu lambit more blandientis martium animal filios Martis. Hanc ipsam Lucernam Maroni oblatam putares, cum idem factum in aenaeo clypeo excisum, ita descripsit Aeneid. VIII.

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuisse Lupam; geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere Matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam

Mul-

Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Virgilianae descriptioni mire consentiunt verba Ovidii II. Fast. ver. 415. & seq.

Venit ad expositos (mirum) Lupa foeta gemellos.
Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est, prodest quoque: quos Lupa nutrit,
Perdere cognatae sustinuere manus.
Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.

His etiam scriptis testimoniis respondent nummi cusi Constantiniano tempore, atque sub Theodorico Rege signati, in quibus idem omnino typus occurrit, ut quodammodo pro certo habeamus, haec sphragismata una cum nummis ex uno eodemque insigni aliquo simulacro priscos fuisse imitatos, nam, ut saepe indicavimus, Fictores veteres, ubi augusta haec, atque sanctiora mysteria exprimere debuissent, in celebriora simulacra oculum ita intendebant, ut illa adamussim referrent. Signa vero plurima Lupae fuisse olim Romae testantur abunde scriptores, praecipue vero in ipso Romuli templo, *in quo est Lupa praebens pueris duobus ubera*, ut ait Dionisius lib. I. Alterum ad Ficum Ruminalem fuisse, ait Livius lib. x. *ad Ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus Lupae posuerunt.* Omnium vero celebratissimum ex aere in Capitolio fuit, quod fulmine olim tactum est, de quo Cicero Catil. III. *Factus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis.* Iterum Julius Obsequens de prodig. cap. 122. *Inter alia relatum biennio ante in Capitolio Lupam Remi, & Romuli fulmine ictam.* Quale quidem simulacrum integerrimum adhuc, nisi quod ejusdem fulminis non ambigua vestigia ostendit, saepius in Capitolio mirati sumus in Conservatorum aedibus locatum, cujus lineamenta si cum nummis, & Lucerna conferas, utraque exemplo inde sumpto expressa esse censebuntur.

Sed non id unum Lucernae pretium. Ex inferiori figulinae sigillo constat illam ex Marci Julii Philippi officina conflatam esse, cujus peculiare insigne geminae palmae

erant.

erant. Hinc patens fit teſtulam hanc ex innumeris illis, quae ad annum millenarium Urbis celebrandum, Urbemque ipſam illuminandam conflatae ſunt, ſuperfuiſſe. Ait enim Capitolinus tribus continuis noctibus tanta Lucernarum frequentia in ea ſolemnitate Romam fuiſſe illuminatam, *ut dies nunquam deficere videretur, aequato per noctem Lucernarum ope ſplendore ſolis*. Nihil vero ſolemnius, nihil oportunius in ea feſtivitate memorari poterat, quam ipſius urbis exordium, ac primum omen, cujus favore mille annorum curriculo:

Imperium terris, animos aequarat Olympo.

Quapropter in ejuſdem Imperatoris nummis iterum haec eadem Lupa, quam in hac Lucerna videmus, expreſſa eſt cum epigraphe: *Saeculares Augg.*

Laurea quae Lucernam ambit, perpetuo frondium ſucceſſu in gyrum recurrentium, in antiquis monumentis nec unica eſt, ſed nec valde frequens; neque enim ex eo genere eſt, quae capiti aptari poſſent ſine quadam deformitate: frondes enim ipſae, quae ex una parte aſſurgunt, deſcendunt ex alia. Puto hujuſmodi templis dedicari conſueviſſe quadam ſignificatione Aeternitatis ſemper aequali proceſſu, & ſine terminis recurrentis, quod optime convenire dignitati Aeternae Urbis minime dubitamus.

IV.

FICUS RUMINALIS.

LUcerna haec operis elegantia nulli ſecunda, hiſtoriae inſculptae dignitate magis magiſque commendatur. Aſſurgit in ea Ficus Ruminalis; illi inſidet Picus. Lupa, quae Romulo, ac Remo praebet ubera, Picum ſuſpicit, vel opem petens, vel jactabunda beneficii. Cuſtos Regii pecoris Fauſtulus humi ſedens, cogitabundus, atque attonitus portentum demiratur. Idipſum expreſſe deſcribit Livius: *Lupam ſubmiſſas infantibus adeo mitem praebuiſſe mammas, ut lingua lambentem pueros, magiſter Regii pecoris invenerit Fauſtolo fuiſſe nomen ferunt. Ab eo ad ſtabula*

La-

Larentiae Uxori educandos datos. Sunt qui Larentiam vulgato corpore Lupam inter paſtores vocatam putent. In cujus beneficii memoriam in Romanorum Pontificalibus inſtituta fuiſſe Larentalia memoravit Ovidius, Faſt. lib. III. ver. 55., & ſequ.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?
Et picam expoſitis ſaepe tuliſſe cibos?
Non ego te nutrix tantae Larentia gentis,
Nec taceam veſtras Fauſtule pauper opes.
Veſter honor veniet cum Larentalia dicam,
Acceptus Geniis illa December habet.

Inde Religionem Ruminali Fico a Romanis habitam indicat Plinius lib. 15. cap. XVIII. *Colitur Ficus arbor in foro ipſo, ac Comitio Romano nata, ſacra fulguribus ibi conditis, magiſque ob memoriam ejus, quae nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris Ruminalis appellata, quoniam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus praebens rumen: Ita vocabant mammam.* Ex quibus Plinii verbis conſtat eam Ficum Ruminalem, quae aetate ſua adhuc vigebat, & ſub qua fulmina Etruſco ritu condi ſolebant, diverſam fuiſſe ab illa, ſub qua Romae Conditores inventi ſunt; ſed omnem nobis dubietatem adimit Tacitus, qui in fine libri XIII. Annalium narrat ſub Neronis imperio antiquam illam Ficum exaruiſſe, noviſque emiſſis germinibus iterum prodiiſſe redivivam. Sic ille: *eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quae ſuper octingentos, & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco deminutam, prodigii loco habita eſt, donec in novos foetus reviviſceret.* Hujus quidem arboris locum, qui facile circa aedem Divae Mariae Liberatricis fuit, ut doctiſſimis viris placet, avide altius perſcrutare deſiderarem, ut fulminum ibi conditorum veſtigia qualia, & quae forent cognoſceremus; ſcimus enim auctoritate antiqui Scholiaſtis in Perſium ſat. II. Strufertarios ſive augures cum fulmina conderent quaſdam fulgurum ſpecies lapideas humi condere conſueviſſe, ut diximus in Acherontico. Vix autem ſupereſt nobis memoria ulla alterius loci, ubi fulmina haec condita ſint.

ſint. Cum vero inquiſitio haec ad quaeſtum Laterculorum defodiendorum, & qui facile venales ſint, non pertineat, quod plerumque illorum, qui excavationes has procurant, ſtudium eſt, demus jam Ruminali Fico, & fulguribus ſuis ultimum vale, ne terror antiquae Religionis vinicolarum corda concutiat, qui carduis ſuis hortenſibus tetrum aliquid, atque ferale inde fortaſſe pertimeſcerent.

Quod attinet ad Ruminalis nomen: Audio Plinii in primis, atque Grammaticorum omnium, quos citat Voſſius in Ruma, conſtantem ſententiam, a Ruma *Mamma* appellatam, quod ſub illa de Lupae mammis lac gemini fratres exſuxerint. A qua ſententia non longe abeſt Varronis opinio lib. II. de Re Ruſtica. Angit me vero Ovidii auctoritas in Faſtis, qui Ruminalem ab antiquis dictam aſſerit, quam recentiores cultiori jam eloquio Romularem dicebant. Sic ille lib. II. Faſt. ver. 413.

Arbor erat (remanent veſtigia) quaeque vocatur
Romula nunc Ficus, Rumina Ficus erat.

Quod etiam innuit Livius lib. I. *Ubi nunc Ficus Ruminalis eſt, Romularem vocatam ferunt.* Unde colligimus non ex alia origine, quam a Romuli nomine arbori nuncupationem attributam, unde quodammodo deſumi poteſt illum ipſum, quem poſteriores Romulum dixerunt, antiquiores Rumulum pronunciaſſe more Etruſcorum finitimorum, quibus litera O ignota erat.

V.

GLADIATORIS CAPUT.

IGnotum antea Gladiatorum ſpectaculum ſub Perſeo poſtremo Macedoniae Rege Graecia primum mirata eſt majore cum terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quam voluptate, ut ait Livius lib. 41., qui non immerito taxavit Romanam immanitatem, cum vel ipſa magiſtra coeptum ſit vitam hominum ludibrio haberi, quaſi Dii gauderent caede hominum, quorum omnino cuſtodes eſſe illos oportebat. Ipſa enim humano ſangui-

ne

ne Deorum aras respergi docuit, & deteſtabilia illa vivorum hominum ſacrificia, quibus turbatos morte defunctorum ſenſus demulcerent. Videmus enim quae praeſtitit Achilles in Patrocli funere apud Homer. Iliad. XXIII.

Salve mihi, o Patrocle, & in Plutonis aedibus.
Omnia enim jam tibi perago, quae antea pollicitus ſum:
Hectorem hunc tractum daturum canibus in fruſta cruda diſcerpendum;
Duodecim autem ante piram obtruncaturum
Trojanorum nobiles filios ob te interfectum iratus.

Inde Aeneas morem imitatus Aeneid. X. ver. 518.

. . . . *Sulmone creatos*
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

& Aeneid. XI. ver. 80.

Vinxerat, & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeſo ſparſuros ſanguine flammas.

Hac etiam impietate Tarquinii uſi ſunt Romanos captivos immolando apud Livium lib. VII. quorum tamen exempla unus omnium ſuperavit Auguſtus in Peruſina vaſtitate, cum trecentos ex dediticiis electos utriuſque ordinis ad aram Divo Julio extructam Idibus Martiis hoſtiarum more mactavit, ut refert Svetonius in ejus vita Cap. XV.

Haec prima Gladiatorum inſtitutio. *Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant, ita mortem homicidiis conſolabantur. Haec muneris origo.* Ita Tertullianus. Haec tamen diſciplina diu manſit apud ſolos Etruſcos. Primi omnium M., & D. Bruti in patris funere gladiatorium munus Romanis exhibuerunt Appio Claudio, & M. Fulvio Coſs., ut tradit Valerius Max. Propagavit hanc immanitatem apud Romanos induſtria Magiſtratuum, ut ex gladiatorum ſolertia diſcerent milites vitandorum, infligendorumque vulnerum ſubtilitatem, & ſolemni propoſito exem-

plo nihil curare vulnera addiſcerent, & hoſtem quantumvis callidum ſuperare.

Aliam quoque rationem hujus inſtituti adducit nobis Capitolinus in Balbin. cap. VIII. *Unde mos tractus ſit ut proficiſcentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent, breviter dicendum eſt. Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam, ut civium ſanguine litato ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, ideſt vis quaedam Fortunae, ſatiaret. Alii hoc literis tradunt (quod veroſimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuiſſe pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter ſe cohortes, ne dimicantes in bello armatos hoſtes timerent, aut vulnera, & ſanguinem perhorreſcerent.*

Hoc ludibrium humanitatis tollere conatus eſt Conſtantinus M. Imperator lege lata de Gladiatoribus penitus tollendis lib. XI. Cod. Tit. 43. Ea vero impietas in omnium animis alte defixa ejus legis auctoritate minime ſublata eſt, quin etiam aetate Symmachi perdurabat, apud quem legimus lib. X. epiſt. 68. Captivos Sarmatas in Amphiteatro commiſſos fuiſſe, & de muneribus Gladiatoriis ſub Honorio exhibitis mentionem facit Paulus Diaconus lib. XIII. Hiſtor. Miſcellae, ubi refert tumultu populi lapidibus obrutum monachum, qui pietate commotus decertantes ſejungere, & a caede avertere contendebat, quod aegre ferens Imperator *nefarium ſpectaculum penitus abſcidit.*

V I.

G L A D I A T O R.

GLadiator in hac Lucerna adamuſſim exprimit illum corporis habitum, quo ſe coram adverſario ad pugnam componebat, fixis pedibus, erecto vultu, gladio ad ictus parato, clypeoque pendente, ut quo dirigantur aemuli petitiones, accurrat; *Gladiatori enim compoſito ad pugnam haec propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit, aut occumbere, ſi ceſſaverit.* Gell. lib. VII.

VII.

V I I.

GLADIATORES.

QUi in aliis veterum Lucernis ſubligaculo ſuccincti apparent, in hac penitus nudi Gladiatores conſpiciuntur, quales propemodum in marmoreis ſimulacris; ſicut enim varia fuerunt illorum inſtituta, ita & ornamenta, & corporis cultus. Parmulae eorum diſpares ſunt pro diverſitate factionum, quae inſignibus quibuſdam notis diſtinguebantur.

Notanda hic ſeſe offert columella, lebete ſuperextante, unde palmae prodeunt; dubium interim praemio ne ſteterit, an miniſterio certaminis. Ejus forma iis reſpondet, qui in Graecorum nummis inter cetera certaminum ſymbola obſervantur. Eorumdem vaſorum uſum multi eruditorum ſubtiliter ſcrutati ſunt, quos inter Spanhemius, Bonarotus ad nummum Caracallae 9., & Venutus Monument. antiq., Tab. 75. qui inter victorum praemia ea vaſa connumerant, quae cum palma tribuebantur. Sed quae Viri docti de hyeronicis ſapienter opinati ſunt, Gladiatoribus noſtris non bene convenirunt, nam eorum praemium *Rudis* fuit, quapropter Horatius Epiſtolar. lib. 1. Ep. 1.

Spectatum ſatis, & donatum jam Rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo:
Non eadem eſt aetas, non mens.

Pecuniam quoque inter eorum praemia extitiſſe colligimus ex Svetonio in Claudio cap. 21. Nec abs re, quum plerumque de viliſſimis hominum, atque omnino venalibus ageretur, qui quum in arenam deſcenderent, longe alium finem ſibi proponebant, quam qui Athletas excitabat. Poterant autem heroum praemiis certamina iſta decorari, cum moribus degenerantibus viſi ſunt Romanorum nobiliſſimi in arenam deſcendere, ut habetur apud Dionem lib. LI., & Juvenalem Sat. 8.; credibile eſt enim perditiſſimos illos principes, qui arenae infamiam abole-

re sumpserunt, aliquando Gladiaturam Heroicis certaminibus paritate praemiorum exaequasse.

Mea tamen opinio est in hisce certaminibus vasa ista, seu urnas dixerimus, adhibita fuisse ad sortes, & nomina Agonistarum versanda, ne fraude, aut dolo comparati, simul colluderent; quarum sortium exemplum apud Homerum observamus Iliad. XXIII. ubi ordo describitur curriculorum, qui in Patrocli funere decertarunt.

Ascenderunt autem in currus. Sortes vero injecerunt;
Movebat Achilles. Sors autem exiit Nestoride
Antilochi. Post hunc sortitus est Rex Eumelus.
Hunc autem post Atrides lancea inclytus Menelaus;
Hunc autem post Meriones sortitus est impellere. Ultimus rursus
Tidides quam optimus existens sortitus est impellere equos.
Steterunt autem cum ordine, signavit autem carceres Achilles.

Quod etiam firmat Tertullianus de spectac., qui furorem populi in circo morae impatientis ita describit: *Tardus est illi Praetor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur.*

Humi vas alterum locatum est in quo *Ceroma* continebatur; unguentum nempe ex oleo, & terra, quo Gladiatores utebantur (luteam unctionem vocat Tertull. de Pal. cap. IV.) cujus usum in feminis Gladiatricibus taxat Juvenalis Sat. VI.

Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit?

V I I I.

MYRMILLONES SESE COMPONENTES.

HAec Lucerna summo in pretio habenda est, quippe exhibet nobis par Gladiatorum ex iis, quos Myrmillones vocabant, qui omnigeno suae factionis cultu instructi sese invicem ad pugnam componunt. Aequa omnibus arma sunt, sed diversimode ornata, ut intuentibus patet;

patet; dexter enim galeam habeat clausam, tereti cono instructam, qui fortasse piscis ille est, quo similia tegmina ornabantur, auctore Festo: *Retiario pugnanti adversus Myrmillonem cantatur:*

Non te peto, piscem peto;
Quid me fugis Galle?

quia Myrmillonicum genus armaturae Gallicum est, ipsique Myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Thorace insuper, & manicis, ocreisque validissimis instructus est, fascia demum lumbos ambiente, clypeo imbricato, & harpe. Qui vero illi adjunctus est, galeam pariformiter clausam gestat, cui conus quadratus imminet, manicas, & thoraca, subligaculum, ingentem ocream sinistro cruri alligatam, pugionem rectum, & clypeum; quae armorum differentia in eodem artificum genere factiones discernebat, non modo ut aemulus aemulum perspectum haberet, sed ut a spectatoribus insigni veluti nota, ut supra diximus, cognoscerentur, atque elatis illis tumultuariis suffragiis vulnerati vel perderentur, vel servarentur, quapropter inducta illa pinnarum in galeis insignia, illaque modo unica, modo vero duplicata, ut Lucernae Bartoli ostendunt, de quibus mentionem fecit Juven. Sat. III. ver. 158.

. . . . . . praeconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistae.

Quos vero Festus Gallos & Mirmillones vocat; Tacitus Crupellarios appellat lib. III. Annal. ubi Galliarum quendam tumultum describens ait *Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis, & cultris, quaeque alia venantibus tela sunt. Adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegmen, (Crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.* His itaque recte aptari poterat illud Claudiani in Rufin. lib. II.

. . . . credas simulacra moveri
Ferrea, cognatosque viros spirare metallo.

Huic armaturae generi respexit forte Juvenalis Sat. VI. ubi mulieres carpens, quae gladiatoriis exercitiis navabant operam, dixit: *Quale*

Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat?
Baltheus, & manicae, & cristae, crurisque sinistri
Dimidium tegmen: vel, si diversa movebit
Praelia, tu felix, ocreas vendente puella?
. . . .
Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeae curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro?

Inter quae galeae illius ponderosioris descriptio notanda est; recte enim nostris hisce congruit, quae omni sui parte conclusae ceteris omnino graviores erant. Colligitur praeterea ex ejusdem Sat. VIII. Mirmillonum habitum fuisse galeam clausam, & harpen, quibuscum adversus retiarios fuscinatos pugnabant:

. . . . : *nec Mirmillonis in armis,*
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina.
. . . .
Nec galea frontem abscondit; movet ecce tridentem.

Romanos poeta ibi proceres deridet, qui in arenam prodituri non more Mirmillonum clausa galea ignoti dimicabant, sed retiarii munus detecta facie impudenter obirent. Hujusmodi galeam clausam trunco suspensam ostentat *Bato* ille gladiator, quem Imp. Caracalla *coegit eodem die cum tribus certare continenter; eumque occisum a postremo affecit magnifica sepultura*, ut narrat Xiphilin., & cujus imaginem publicavit Fabrett. de Colum. Trajan. cap. VIII. cujus armatura recte cum nostris congruit, nisi quod ille manicis destitutus est; manicam vero, & similem galeam habet in griphi morem formatam M. Antonius Exochus, alter Gladiator apud eundem loc. cit. sed minime loricatus est, constat vero hunc ex factione *Thracum*, sive Threcum fuisse ex apposita inscriptione.

Demum hoc galeae genus a gladiatoribus ad milites transiit, ac bis occurrit in eorundem imaginibus a Cl. Gorio publicatis inter inscription. Donian. Tab. x., demum & in Etrusco sigillo apud eund. Gorium Mus. Etrus. T. I. Tab. 40. num. 4.; nec alibi observasse illud memini.

IX.

I X.

VENATORIS CAPUT.

EXhibuimus tab. v. huic ſimilem lucernam, in qua gladiatoris caput expreſſum eſt. Idem fere artificium redolet iſtahaec, quod altera ſuperior, in qua inſigne pugionis, hic vero venabuli cuſpis oſtentatur. Elegans haec Lucerna adamuſſim refert nobis cuſpidem lanceae venatoriae, ut illam vocat Apulejus, quae utique latiori, atque ampliori, quam ceterae, quibus in bello utebantur, ferro conſtabat; illae enim, quibus loricae transfodiendae eſſent, acie magis acuta indigebant. Hae vero, quae in ferarum artus infigendae erant, quo ampliores forent, majora vulnera inferebant. Quapropter *Venantium telum latiſſimum a ceteris aciei longiſſimae* appellat Varro. Durabat haec forma hiſce telis etiam Auſonii temporibus, qui tertio Epigrammate, quod *de Fera a Caeſare interfecta* conſcripſit, haec habet.

Cedere quae lato neſcit fera ſaucia ferro,
Armatique urget tela cruenta viri.

In hoc lanceae cuſpide illud quoque notandum eſt, quod inciſis hinc inde lateribus veluti inſignes dentes efformati ſunt, ut fera conſtanti vulnere non transfixa modo, ſed cohibita atque detenta ſiſteret, ne venatorem ultimo morientis impetu, qui fere exitialis eſt, interimeret. Has itaque dentatas lanceas deſcribit Gratius in Cinegetico.

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit: & proni moderatus vulneris iram
Omnem oris excepit onus, tum ſtricta verutis
Dentibus, & geminas ſubiere haſtilia furcas:

X.

PUERI VENANTES.

DIu anceps fui an infantuli, qui tigridem in hac lucerna inſectantur, inter Genios Dianae referendi eſſent,

an

an vero ludicrum aliquod ſpectaculum repraeſentarent, quod puerorum officio in arena exhiberetur. Ex his utrum probandum ſit, viri docti viderint. Mihi poſtremum profecto magis arridet, nam Genios ut plurimum pennatos efformabant, ne divinitas in ambiguo eſſet. Accedit veterum auctoritas, qua intelligimus pueros etiam aliquando in ſpectaculis fuiſſe exhibitos, qui majora viribus & aetate praeſtantes, admirationem atque oblectamentum ex difficultate operis conciliarent; nam aliquando caſtella e pomis excitata illis objecta ſunt diripienda, ut apud Pollionem in Gallieno. Praeſumpſit aetas paleſtrae gloriam, & aliquando pugilatum, & gladiaturam attentavit. Audiamus Senecam de *brevitate vitae* cap. XII. *Illum tu otioſum vocas*,.. *qui in ceromate (nam prob facinus ne Romanis quidem vitiis laboramus) ſpectator puerorum rixantium ſedet, qui vinctorum ſuorum greges in aetatum, & colorum paria diducit, qui Athletas noviſſimos paſcit?*

Hanc prerogativam ambitioſis laudibus extollit in puero Glaucia Melioris vernula Statius Sylvar. lib. II. I.

Sic tener ante diem, vultu, greſſuque ſuperbo,
Vicerat aequales; multumque reliquerat annos.
Sive catenatis curvatus membra paleſtris
Staret, Amyclaea conceptum Matre putares.
Oebaliden illo praeceps mutaret Apollo:
Alcides penſaret Hylan. . . .
. . . . Herculeos animis aequare labores
Coeperat aſſurgens.

Plura etiam puerorum colluctantium, ac decertantium, pugilatu teſtimonia exhibent nobis veterum marmora, praeſertim vero pulcherrimum, quod inter Donianas Inſcriptiones evulgatum, atque illuſtratum eſt a clariſſimo Gorio; inter quae ſtudia ipſo quoque venationis periculo puerilis aetas probata eſt, ut multiplici auctoritate Martialis evincitur, qui ſaepe in ſpectaculorum libro laudat Carpophorum ingentium ferarum confectorem, quem utique adoleſcentulum fuiſſe probat, dicens:

Fortis adhuc teneri dextera Carpophori.

Infans, qui ſeſe obvium Tygridi obiicit, non clypeum; ſed

ſed ſpeculum praeſefert aut lucidam adeo parmulam, ut occurrens fera inanem ſui imaginem verita, & ſimulacro ſui terroris perturbata ab inſequenti puero transfigeretur. Solemne fuit venatoribus hoc ſtratagema, quod graphice expreſſum obſervamus in Naſoniae gentis ſepulcro Tab. 28., quae pictura lucernam iſtam inſtar luculentiſſimi commentarii illuſtrat, atque declarat.

X I.

VENATIO AMPHITHEATRALIS.

MUltis illuſtrandum eſſet praeſens ſphragiſma, quod multiplicitate & nobilitate rerum quas continet, quanquam ſui ruditate nec peritam manum, nec ſaeculum adeo cultum redoleat, ſummopere commendatur; nam in anguſto orbiculo amphitheatri cavea obſervatur, quam corona cingit ſpectatorum elata manu plaudentium, quos inter editor ſpectaculi mappam attollit, cujus ſigno editio inchoabat. Clauſtra protegunt, atque attollunt ſpectatores, quae ex ligneis compagibus, ut in amphitheatris temporariis fieri ſolebat, compacta videntur, de quo multa nobis dicenda forent, niſi de illo pluribus egiſſemus in diſertatione de Phiala ſepulcrali.

Quod inſuper in hac videre datum eſt, ſunt geminae portae libitinariae hinc inde conſtitutae, ex quibus caeſorum cadavera efferrentur, ne arenam impedirent.

Caveam ornat leonum venatio, quam omnium ſumptuoſiſſimam fecit belluarum capiundarum difficultas, ut miraculi inſtar habeatur apud Spartianum in Hadriano cap. 19. *In circo multas feras, & ſaepe centum leones interfecit.* Venationum vero omnium lautiſſimae habitae ſunt, quas edidit M. Jul. Philippus in millenario Urbis Romae quas cum notiſſimae ſint deſcribere ſuperſedeo.

Beſtiarii clypeis ſeſe defendunt, quos ſupra diximus in ſpeculi morem fuiſſe levigatos; quae omnia in pictura ſepulcrali Naſoniae gentis manifeſte obſervantur. Luxus venationum non principem Urbem modo, ſed ceteras invaſit, in quibus ferarum beſtiarum ſpectacula atque etiam leonum edita ob-

servamus, praecipue in Martyrum Actis. Mirabar aliquando feras illas tam obvias fuisse, ut omnium fere Urbium satisfacerent cupiditati, sed occurrit mihi Honorii, & Theodosii Lex *de venatione ferarum*, qua edicitur *bestias, quae ad comitatum ab omnium limitum ducibus transmittuntur, non plus quam septem diebus intra singulas civitates detineri*. Nam haud multo sumptu de una in aliam urbem diligenter e dissitis regionibus Romam ferebantur; hoc vero commodi singulae urbes ex ea vectura capiebant, ut in singulorum Amphitheatris populo ostentarentur, pro quorum cibo damnatorum corpora reservabant.

X I I.

E L E P H A S.

QUod elephantes in Lucernis videamus in causa fuit vel ipse luxus artis, cui nihil intactum relictum est, quin ad hanc suppellectilem adornandam adhiberetur. Aliqua quoque, ut plerumque in omnibus antiquorum operibus, significatio in his animalibus latet, usu nempe sic postulante. Elephantes autem in bello primum, dein in spectaculis adhibitos scimus; quod in praelio prima vice factum est anno Urbis 553. teste Livio lib. xxxi. *Ante prima signa locatis Elephantis, quo auxilio tum primum Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt*. Iterum iterumque vero in acie a Romanis collocatos refert Appianus de bello Hispaniensi, & Hirtius de bello Africano. In circo vero inductos, ut spectaculo Romanis essent, neque minori numero quam centum quadraginta duo, & jaculis interfectos, ut insuetae genti ludibrio essent anno Urbis 502., testatur Plinius lib. viii. cap. vi. Iterum vero pugnam Elephantorum exhibitam in dedicatione Theatri Pompejani refert Asconius in Ciceronem. Inde vero vix ulla circensia, sive amphitheatralia munera edita sunt, in quibus immanes hae belvae non spectarentur, ut ex Suetonio constat in Julio cap. xxxix. Plinio lib. viii. cap. vii., & Martiali lib. de spectaculis; usque adeo progrediente hominum industria, ut belluam olim terrorem gen-

tis,

tis, joculatricem fecerint, & edoctam funibus incedere, oltentaverint in ſpectaculis funambulam, ut abunde referunt Xyphilin. cap. 61. Sueton. in Nerone cap. xi., & in Galba cap. vi. Plin. dicto lib. viii. cap. ii., & cap. iii. Seneca Epiſtola 86., aliique utique obvii.

Dum haec ſcriberem, & tabulae aereae hujus libri jam inciſae, & ordinatae eſſent, pulcherrima Lucerna ad me Roma tranſmiſſa eſt, in qua elephas cum rhinocerote decertans exprimitur. Sed ne tam elegantis monumenti memoria, quae hic oportuniſſime recurrit, intercideret, placuit illud utcunque auctoritate ejuſdem Plinii lib. viii. cap. 20. illuſtrare, ubi haec ſcribit *Alter hic* (*rhinoceros*) *genitus hoſtis elephanto. Cornu ad ſaxa limato praeparat ſe pugnae, in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem*. Rhinocerotes vero cum urſis, & tauris feris commiſtos legimus apud Martialem eodem libro de Spectaculis. Portentoſas has venationes multo ſaeculorum ſpatio, & rei difficultate intermiſſas, ad poteſtatis oſtentationem renovavit Portugalliae Rex, qui elephantem cum rhinocerote commiſſum ſpectaculo exhibuit poſtremo ſuperſtite, ut refert Munſterus Coſmograf. lib. v.

XIII., & XIV.

ΒΟΥΚΟΛΕΩΝ.

QUoties in Capitolio admirandum illud ſignum leonis, & equi invicem ſaevientium obſervavi, facile conjeci tantum opus ad Amphiteatri ornatum pertinuiſſe, in quo celebriorum ſpectaculorum monumenta multiformiter marmore expreſſa circumundique diſpoſita eſſent. Confirmavi ſuſpicionem meam obſervans, quod aliquando aliud ſimile ſignum, in quo bovis, & leonis pugna expreſſa erat, Conſtantinopolim fuit advectum, locoque, ubi conſtaret nomen fecit. Haec Ducangius Conſtantin. Chriſt. lib. i. C. 19. *ΒΟΥΚΟΛΕΩΝ cujus ſtatua Coſtantinopolim allata in porta palatii locata eſt, & palatii triclinium, quod huic portae proximum erat, Bucoleontis appellatum eſt.*

Signum hoc, quod ille fundator pacis, atque Urbis Romanae exterminator nobis invidit, ſubſidio praeſentis lucernae reſtituimus. Cum enim in hiſce lychnis ſpectacula illa, quae populi genium detinebant, effingerentur, quorum plura exempla tabulis ſequentibus producturi ſumus; ſpecimen ejus argumenti e clariſſimis prototypis facile ſumebatur, quorum elegantia in pictorum, ſigillatorumque oculis fixa erat. Quod vero in hac Lucerna Bucoleontis marmorei ſpecimen referatur, licet etiam arguere ab alio marmoreo anaglipho muſei mei, in quo idem fere argumentum repraeſentatur; quod cum in monumentis adeo diſparis materiae occurrat, facile argui poteſt artifices, non forte fortuna, & ex ingenio illa efformaſſe, ſed ex communi aliquo exemplari, quod laudatiſſimum foret, ideam operis deſumpſiſſe.

In infimo elegantiſſime patinae fictilis fragmento urſi conſurgentis, & ſeſe retrorſum invergentis, ſpectaculum repraeſentatur. Quod maxime Romanis placuiſſe conſtat ex Martiali, inſuper & Apulejo Metam. IV. *praeter ceteram ſpecioſam muneris ſupellectilem totis utcunque patrimonii viribus immanis urſae comparabat numerum copioſum*, & Div. Auguſt. contra Academ. I. *Si te edentem munera urſorum.* Et Symmachus Epiſt. 117. lib. IX. *Exprobaveras mihi ante hac feras, quibus non eſt uſa quaeſtura filii mei . . . . eſt igitur optio tua urſos, quos in tempeſtate dicis amiſſos naufragio, taxare.*

In diptycho quoque conſulari, quem nuper illuſtravit eruditiſſimus Hagenbuchius, urſorum ſpectaculum apprime repraeſentatur. Urſus vero qui poſticis tantum pedibus incedens, in hoc fragmento delineatus eſt, ad ludicra ſpectacula pertinet in quibus non modo ferocientes cum ceteris belluis committebantur, ſed cicures exhibebantur, qui multa ex hominum imitatione effingerent. Hos aliquando etiam viſco implicatos, & turpiter ſeſe volutantes in Amphitheatro deſcribit Martialis lib. de Spectaculis.

X V.

LEO, ET CROCODILUS.

PEregrinis ferarum monſtris, quae in ſpectaculis Romae edita ſunt, acceſſere etiam crocodili, & qui in Aegypto pro Diis erant, Romae ludibrio extiterunt. *Marcus Scaurus primus* hippopotamum, *&* *quinque crocodilos Romae aedilitatis ſuae ludis temporario euripo oſtendit*; Verba Plinii lib. VIII. cap. 26. Hos vero frequenter editos inter ſpectacula, colligitur non uno in loco ex Symmachi Epiſtolis, praecipue 43. lib. VI. *Crocodilos theatrali ſpectaculo publicatos in praeſentiam veſtram ſervare tentavimus; ſed perſeverante inedia, quae illos per dies 50. producta macerabat, ſecundis ludis congreſſionum more confecti ſunt. Duos etiam nunc ſpirantes in veſtrum differemus adventum, licet eos cibi abſtinentia longum vivere poſſe non ſpondeat.* Et Epiſt. 132. lib. IX. *Praetura domum noſtram Deo juvante expectat, in qua me crocodilos, & pleraque peregrina civibus exhibere, & aliorum hortantur exempla, & propria impellit animoſitas.* Demum & lib. X. Epiſt. 19. *De apparatu noſtrae editionis admoneo . . . . . Prae caeteris autem, quae Romana ſpectacula deſiderant, crocodilos functio theatralis flagitat.*

Altera lucerna, quae in eadem tabula vulgatur, pertinet ad venationes, quae in amphitheatro exhiberi ſolebant. In his aliquando centum leones interfectos fuiſſe ſub Hadriano, teſtatus eſt Spartianus cap. XIX. Aedilitate vero Scauri centum quinquaginta varias feras confectas refert memoratus Plinius lib. VIII. cap. 17., & lib. IX. cap. 5. Etiam Victor in epitome cap. I. refert Auguſtum ſpectacula exhibuiſſe ferarum incognita ſpecie, & infinito numero, qui etiam in lapide Ancyrano profitetur ſpectacula, & venationes dediſſe, quibus confecta ſunt beſtiarum circiter tria millia, & quingenta.

XVI.

X V I.

URSUS, ET DRACO.

HAec Lucerna ex eadem officina prodiit, unde altera, in qua leonis, & apri pugna cernitur, ut constat ex inferioribus ornamentis, quae sigilli loco sunt. Exhibetur hic ignotum adhuc testimonio Scriptorum, atque admirandum spectaculum, ingens draco objectatus urso ejus molis, cujus fert India, tulitque aliquando Romanus ager, de quibus haec Plinius lib. VIII. cap. 14. *Fidem his faciunt in Italia appellatae boae in tantam amplitudinem exeuntes, ut Divo Claudio Principe occisae in Vaticano solidus in alvo aspectatus sit infans.* Refert quoque Suetonius in Augusto cap. XLIII. anguem quinquaginta cubitorum ab eodem in comitio exhibitum populo. Quae quidem bestiarum monstra credibile est, cum satis populo spectata forent, nec jam aliquid novi haberent, ceteris bestiis in arena exposita esse, ut ea quae ad unum hominum exitium nata erant, hanc illis praestarent ex laniatu voluptatem.

X V I I.

LEO, ET APER.

ALiud fortasse signum leonis atque apri una decertantium quod adhuc aetate sua supererat, descripsit Claudianus Epigram. XII.

Torvus aper, fulvusque leo coiere superbis
Viribus; hic setis, saevior ille juba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat: dominatur uterque
Montibus; Herculeus sudor uterque fuit.

Quae Claudiani carmina adeo feliciter Lucernae nostrae applicantur, ut nulla amplius indigeat illustratione.

X V I I I.

BESTIARIUS FEROCEM TAURUM SISTENS.

PUlcherrimi operis eſt haec Lucerna, in qua illud ſingulare occurrit, ut artificis nomen BAGRADI non in fundo, ſed in latere ejuſdem extantibus literis deſcriptus ſit, Bagradam Auguſti ſervum memorat Suetonius. Ejus ne an alterius ejuſdem nominis artificio prodierit hoc toreuma, minime definiri poteſt; in eo juvenis thorace ſegmentato munitus oſtenditur, qui ferocem taurum decurrentem intrepidus frenat. Dubitavi aliquando an hic Theſei Cretenſem taurum perdomantis facinus referretur, ſed vix puto Heroam illum aliter quam nudum ab antiquis fuiſſe expreſſum, qualis propemodum cernitur in Etruſca patera apud Monfoconium, in qua Hercules illi adjutor jungitur. In altera quoque Lucerna apud Bartolum beſtiarii pari tunica ſegmentata, ſeu potius ex conſertis faſciis efformata, quales etiam Circenſes aurigae habuerunt, induuntur. Itaque pro certo habeo typum hunc nullam fabulam repraeſentare, ſed ludicrum illud ſpectaculum, in quo magni roboris viri feroces tauros in circo cornibus arreptos, atque humi dejectos necabant. Id ludi genus, quod aliquando ab equitibus exercebatur, Theſſalis attribuit Plinius lib. VIII. cap. 45. *Theſſalorum gentis inventum eſt equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare. Primus id ſpectaculum edidit Romae Caeſar Dictator.* Ejuſdem venationis mentio eſt etiam apud Suetonium in Claudio cap. 21. : *Praeterea Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia circi agunt, inſiliuntque defeſſos, & ad terram cornibus detrahunt*, edidit. Cum tamen in hoc ſphragiſmate non eques, ſed pedes cum belva decertet, evidens fit ſub hac etiam ſpecie id ſpectaculum populo exhibitum ad oſtentationem Romanae conſtantiae ſupra modum ceterarum nationum; quae ſine ſpe confugii cum diris quibuſque belluis certamen iniret.

XVIIII.

XIX.

TIBICEN CANENS.

IN hac tibicinis imaguncula obſervatur forma veſtis, qua vulgo id genus hominum utebatur, quae tota ipſis ſimul cum citharaedis peculiaris erat. Hanc deſcribit Cicero ad Herennium IV. 47. *Palla inaurata cum clamyde purpurea coloribus variis intexta cum corona aurea.* Quam vero pallam, muliebre indumentum, clamydi ſuppoſitam vocat Cicero, tunicam appellat Apulejus Florid. *eique prorſus citharoedicus ſtatus Deam proſpiciens, canenti ſimilis, tunicam picturis variegatam deorſus ad pedes dejectus ipſos, Graecanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium ad uſque articulos palmarum.* At Varro de Re Ruſt. lib. III. cap. XIII. muſici cujuſdam veſtem deſcribens ipſum ſtola indutum tradit. *Q. Hortenſius Orphea vocari juſſit, qui cum eo veniſſet cum ſtola, & cythara, & cantare eſſet juſſus, buccinam inflavit*, quae deſcriptio ita quadrat noſtrae huic Lucernae, ut nihil deſiderari poſſit expreſſius. Hanc vero veſtis rationem adeo peculiarem hiſce artificibus Romani retinuere, ut morem recentem antiquis fabulis accommodarent, nam Orpheum ita indutum deſcripſit Virgilius Aeneid. VI. 645.

Nec non Threicius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Qua vero occaſione haec indumenti ſpecies Romanis tibicinibus attributa ſit, pluribus narrat Ovidius lib. VI. Faſt.

Cur vagus incedit tota tibicen in Urbe
Quid ſibi perſonae, quid toga longa volunt?

Inde vero narrat odio cujuſdam legis tibicines Roma fugiſſe, nec niſi falſo commento deceptos illuc revocatos fuiſſe, ne vero invicem ſeſe agnoſcentes factum dolerent, perſonatos ire juſſos, & cum longa veſte.

Callidus, ut poſſet ſpecie numeroque ſenatum
Fallere, perſonis imperat ora tegi,
Admiſcetque alios, &, ut hunc tibicina caetum
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.
Sic reduces bene poſſe tegi, ne forte notentur
Contra collegae juſſa rediſſe ſui.

Res

Res placuit : cultuque novo licet idibus uti,
Et canere ad veteres verba jocosa modos.

X X.

SIMIA LUDENS.

EN alterum publicorum spectaculorum argumentum : Simia tutulata bacillos quatiens crepitantes ex nidulo subsultans, solertiae suae quaestum facit. Forma cubilis, unde prosilit, proxime ad scapham accedit, cujus prora ad risum ciendum in caput asininum deformatur : cubile appellamus, nam alterum prorsus simile habet obscoeni argumenti Lucerna, in qua una spinthriarum repraesentatur; ut inde suspicemur circumforaneos grabatos hisce parergis ornari consuevisse : quae machinae ex loris, & corio constabant, ut extemporanea versatione usui accommodarentur. Bestiolae ingenium ad jocosa omnia accommodatum, non est cur ex antiquis exspetamus, vulgata jam apud nostrates simiarum specie, quas in primis familiares habemus. Quod vero attinet ad lucernae significationem minime reticere possumus simias aliquando in publicis ludis exhibitas; docebantur enim armatae jaculorum jactus avertere, quod testatur Martialis lib. XIV. Epig. 202.

Callidus emissas eludere simius hastas.

Huc etiam non sine ingenio traxit Vossius de Idolol. lib. III. cap. 59. verba illa Juvenalis Sat. V.

Qui tegitur parma, & galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella,

quanquam enim alii alio detorserint hujus loci sensum, ille tamen ad spectaculum, quod a simiis exhibebatur, referenda putavit, *nempe*, ait ille, *simiae capellae inequitare, inde jaculari docebantur. Flagelli autem meminit poeta, quia eo solent officii commoneri. Ita hunc locum recte accepit vir nobilis Janus Rutgersius lib.* III. *Var. cap. xv.* Quae opinio si eruditis arriserit, non modicum lumen ab hac nostra Lucerna mutuabitur, dum pro capella corium sive capellae, sive alterius animantis suscipiamus, ex quo ludere sive depugnare edocerentur.

Ceterum ſimias uſque adeo fuiſſe edoctas, ut latrunculis luderent teſtatum fecit Plinius lib. VIII. cap. 54. imo ſaltare eruditas, & tibia canere, & aurigae munia obire, ut nihil mirandum ſit videre in hac Lucerna bacillis ſaltantem. Quale quidem ſaltationis genus antiqui in jocoſis maxime probaverunt, ut oſtendunt frequentia mimorum crepitaculis hiſce ludentium ſimulacra, quorum plura videre eſt apud Bellor. *Luc. Ant.* par. I. num. 34., & 35. qui in notis Pollucis auctoritatem adducit lib. IV. *de Speciebus ſaltationis: erat enim fiſſilia trahere ligna choricae ſaltationis ſpecies.*

Poteſt etiam hic typus commodiſſime referri ad illam Iſidis pompam, quam Apulejus Metamorph. XI. deſcribit, inter cujus cetera monſtroſa myſteria haec leguntur: *Vidi & urſam manſuem, quae cultu matronali ſella vehebatur, & ſimiam pileo textili, crocotiſque phrygiis catamiti paſtoris ſpecie, aureum geſtantem poculum.* Quod quidem pilei geſtamen capite ſimiae impoſitum hic manifeſtiſſime intuemur, illamque mobili toro inſidentem, quo commodius per pompam circumferri, ac traduci poſſet.

X X I.

MIMUS TIBIIS CANENS.

SI quid in tota ethnicorum religione ſanctius habitum fuit, atque venerabilius, ludi profecto fuere, ac ſpectacula mimorum, atque hiſtrionum. Ubi enim privatis, atque obviis neceſſitatibus conſulendum eſſet, res hoſtiis, ac ſacrificiis agebatur; ubi vero inſolita maximaque pericula urgebant, quum peſtis premeret, quum bella ingruerent, quum reſpublica periclitaretur, inani cetera religione, praeſidium ab ſcenis, ut colligitur ex Livio lib. VII., petebatur; nec ſemel in adverſis caſibus publicatum eſt, Deorum iram jure commotam, quod ludi, vel neglecti, vel minus acurate exhibiti forent, illorumque inſtauratione ſecuritati publicae fore proſpiciendum, ut conſtat ex Cicer. *de Haruſp. reſp.* c. 12. qui quidem ludi *inſtaurativi* dicebantur, eodem Cic. referente l. I. de Divin. 26.

Unum

Unum igitur ex artificibus, cui negocium tanti ponderis committebatur, calvum, humeris, facie, atque toto corpore contortum, atque ad risum ciendum deforme, qui tibiis canens exultat, expressum adducimus, cui Arnobii verba l. VII. congruunt. *Mimis Dei gaudent, & illa vis praestans, neque ullis hominum comprehensa naturis, libentissime accommodat audiendis his aures; delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis, salpistarum sonitu & plausu.*

Horum vero ludionum opera non modo in theatro utebantur veteres, sed & in funeribus, minime veriti tetrum illud cadaverum processum ridiculis gesticulationibus in jocum convertere. Dionys. lib. VIII. *In illustrium virorum funeribus praeter alias pompas vidi & Satyricos choros, qui lectulum praecedebant, & sicionem saltationem saltabant, praecipue vero in fortunatorum virorum funeribus.* Imo adhibitos in triumphis testatur Appianus Libyc. *Lictores in triumpho coccinati viam Imperatori praeeunt & chorus citharaedorum, & tityristarum in speciem Tyrrenicae pompae progrediuntur cum carmine, & saltatione. Horum autem aliquis in medio purpuram talarem gerens, & viriolas, & torques aureos varie ad risum formatur illudens hostibus.*

Fuerunt etiam in privatis magnatum deliciis, qui *ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore videntur ipso.* Sic eos descripsit Cicero de Orat. II. Hi nempe qui *effractis ultra modum moribus, nullaque verecundia, convivantibus dominis nudi, & lascivientes saltabant*; secus vero in scena, ut Cicero ait de offic. l. I. *Scenicorum mos tantam habet veteris disciplinae verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo.* Elegantissimam ludionis imaginem ex aere fabrefactam laudari praecipue intelligo in museo Capponio, quae maccum adhuc in scena nostra usitatum exprimit; ut inde commode deducamus, quam sit antiquum apud nos hisce jocis delectari, quorum perennem usum ab antiquitate deducimus. Quod tamen non ex eo uno testimonio confirmari valet, cum praecipue alterum ejusdem argumenti sigillum aerum proximis annis in agro Pisaurensi repertum in museum nostrum intulerimus.

X X I I.

P U G I L.

HAEc Lucerna in agro Tuderte effoſſa oblata mihi eſt anno 1718. cum vici Martis Tudertium, nunc *Maſſa*, praeturam gererem, in qua cum perraram illam in monumentis *caeſtophori* imaginem intuerer, in ſuſpicionem veni nummos illos Etruſcos in ea regione tam frequentes, in quibus caeſtus expreſſi ſunt, ad civitatem illam pertinere, quod poſtea citra dubium aſſecutus ſum, quum in Etruſca inſcriptione TUTERE, nomen Tuderis primus omnium depraehendi, haud dubio indicio pugilatum in ea vehementer floruiſſe, quem tam libenter & in aere, & in argilla adumbrarent. Romae vero id ſtudium longa deſuetudine interruptum a Domitiano renovatum fuiſſe ſuſpicantur eruditi occaſione epigrammatis Martialis lib. VIII. LXXX. quo ſic Caeſarem alloquitur:

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris Caeſar ſecula cana mori:
Cum veteres latiae ritus renovantur arenae
Et pugnat virtus ſimpliciore manu.

Congruit huic noſtrae imagini Amyci ceſtibus certaturi deſcriptio apud Valerium Flaccum Argonaut. lib. IV.

Ingentes humeros ſpatioſaque pectoris oſſa
Protulit, horrendoſque toris informibus artus,

& Daretis imago a Virgilio in V. delineata.

Talis prima Dares caput altum in praelia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

rurſus altera Entelli deſcriptio.

Haec fatus duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Caeſtuum materia fere ſemper eadem omnibus fuit, lorum nempe crudum manibus, & brachio circumplicitum, cujus pondere, & aſperitate ſaevior ictus foret. Sed forma non ſemper eadem; ii nempe, quibus heroes decertarunt, multo gra-

graviores fuisse dicuntur, ferreisque bullis, seu plumbeis asperiores. Tales fuere, quos describit Statius Tebaid. VI.

. . . . nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum.

& quos expressit Virgilius loc. cit.

In medium geminos immani pondere caestus
Projecit; quibus acer Eryx in praelia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroque rigebant.

& paulo post

. . . . vinclorum immensa volumina versat.

adeo ut illos describens Eustathius dixerit *quasi clavam quamdam rotunda forma dure fecisse.* Fuere tamen, qui simplicioribus uterentur; loro nempe quod palmis ambabus circumplicatum, & decussatum superne, non ultra pulsos procederet, brachiis omnino inermibus, quorum icones produxit Fabrettus *de Columna Trajana*, atque oculis omnium patent in Tudertium nummis, quibus qui uterentur, pugnis potius, quam caestibus dimicabant. Felix quidem inventum, quo militaris tolerantia addisceretur, cum artus assuescerent ad ictus avertendos, ferendosque, nec vita prodigebatur in belli praeludio, quae bono civi in ipso bello cara esset.

X X I I I.

CAra mihi, si qua alia, est haec Lucerna, in qua pugiles simul commissi pugnant, quod certamen in nullo, quod viderim, veteri monumento observatur. An non hunc typum prae oculis habuit Virgilius, quum caestomachos descripsit lib. V.?

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Adduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Ostendit dextram insurgens Entellus, & alte
Extulit, ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elapsus corpore cessit.

& paulo post

Nunc

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra
Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.

Et Valerius Flaccus *Argonaut.* lib. IV. hanc ipsam decertandi rationem diducto semper capite ad frustrandos ictus servatam descripsit:

. . . . . . *Pollux sic providus ictus*
Servat, & Oebalia dubium caput erigit alte.

& deinde

. . . . *ille autem celeri rapit ora sinistra,*

Et Statius Tebaidos VI.

Et Patria vigil arte Lacon hos rejicit ictus,
Hos cavet interdum nutu, capitisque litati
Integer obsequio, manibus nunc obvia telo
Discutiens instat gressu, vultuque recedit.

Sed ubi de peregrinis caestibus aliquid delibavimus, attingamus veteres Pisaurenses, ne aliena perlustrantes videamur nostra ignorasse. Dum enim superioribus annis in Bonatiorum fundo, qui in colle Libanio, nunc *Calibano*, sepulcrum defoderetur, & in copiosam vasculorum supellectilem, quae ex nigra argilla constabat, ventum esset, cylindri quidam sexquiunciali latitudine, longitudine vero triunciali ex eadem argilla constantes inventi sunt, quae moles ideo facta videbatur, ut pugno stricta, pugilatui nec omnino inermi, sed minime luctuoso deserviret. Horum vero pugillarium usum nunquam assequutus sum, nisi quum initio praefationis ad inscriptiones Donianas praefixum vidi vetus anaglyphum, in quo pueri palestritae his pugillaribus strictis pugnis decertant. Facile tunc cognovi hoc gymnasticae studium apud nostrates floruisse, quo in funeribus uterentur, pugillis ipsi secus ossa depositis, qui testatum facerent manes rite sepulcro conditos, qui tam splendido piamine, & tam mortuis grato, o temporum calamitatem! conciliati fuissent.

XXIV.

X X I V.

DISCOBOLUS.

INter gymnaſtica ſtudia nobiliſſimum illud cenſebatur, quo graves ex aere rotae ſive illae marmoreae, ſeu ferreae eſſent, arte quadam e manu excuſſae in altum projiciebantur; quo vero altius ſignum peterent, id majori honori tribueretur. Tantae vero erant molis, ut unum ex his Athenis adhuc exiſtentem Divus Hieronymus ſe totis viribus connixum, vix paululum ab humo elevare potuiſſe in epiſtolis fateatur; proinde minime mirandum eſt a Statio in VI. Thebaidos, clypeo Martis fuiſſe comparatum.

Qualis biſtoniis clypeus Mavortis in arvis
Luce mala pangaea ferit, ſolemque refulgens
Territat.

Ut vero haec *aeneae lubricae maſſae pondera*, ut illos vocat Statius, validius jacularentur, loro circumcingi ſolebant, ut docet Euſtathius in XVII. Odiſseae. Ejuſdem vero volatum deſcribit Ovidius Metamorph. X.

Corpora veſte levant, & ſucco pinguis olivae
Splendeſcunt, latique ineunt certamina diſci,
Quem prius aerias libratum Phoebus in auras
Miſit, & oppoſitas disjecit pondere nubes.
Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus, & exhibuit junctam cum viribus artem.

& Statius loco cit.

. . . . Caelum dextra metitur, humique
Preſſus utroque genu collecto ſanguine diſcum
Ipſe ſuper ſeſe rotat atque in nubila condit
Ille citus ſublime petit, ſimiliſque cadenti
Creſcit in adverſum, tandemque exhauſtus ab alto
Tardior in terram redit, atque immergitur arvis.

Non ſemper vero in altum jaculabantur, quin aliquando etiam rotare humi concito ictu cogerentur, ut quo longius progrederentur palmam promererent, ut Pindari vetus Scholiaſtes in Iſthmicam primam tradit, tantumque terrae poſſi-

possidendum victoribus attributum, quantum spatii disco emensi essent, quam postremam exercitationis speciem ita descripsit supralaudatus Statius:

. . . . . . Alternis Alpheon utrinque solebat
Metiri ripis, & qua latissima distant
Non unquam merso transmittere flumina disco.

Huic exercitationi proxime accedebat illa, quam Romani ventilationem appellabant, quam qui exercerent, ventilatores nuncuparentur. Illorum industria haec erat, ut parmulam in altum jactam iterum iterumque cadentem colligerent, sursumque in altum rotarent, dum tamen terram minime tangeret. De his extat Epigramma apud Martialem lib. IX. 28.

Summa licet velox Agathine pericula ludes
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras
Vel pede, vel tergo, crine, vel ungue sedet, &c.

X X V.

C Y M B A L I S T A E.

COnstabant cymbala ex duplici aereo disco, in cujus dorso lora hinc inde obfirmata erant, ut immissae in illis manus, mutuo ictu tinnitum ederent, quapropter gemina aera vocantur a Statio Tebaid. VIII., & plurali plerumque numero a Scriptoribus usurpantur. Maximus vero fuit illorum usus, quia ad religionem spectabant, praecipue in sacris Ideae matris, ut abunde testantur Scriptores fere omnes, praesertim vero Ovidius Fast. IV.

Ibunt semimares, & inania tympana tundent,
AEraque tinnitus aere repulsa dabunt.

& Catullus de Berecinthya:

Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.

Sed illa admisere & bacchanalia, ut constat ex Propertio lib. III. Eleg. XVI.

Cymbala Thebano concrepuere Deo.

Nullum praeterea ex tot insculptis bacchanalibus occurrit, in

in quo fere hujusmodi Cymbalistae non observentur.[33] At omnium pulcherrimus est ille aereus, qui fontem exornat Romae in hortis Burghesiis, qui utraque manu cymbala quatiens, elato pede scabellos pulsat; qui vero in Lucerna nostra exprimuntur, saltantes sunt; quapropter illos inter joculatores adcensuimus, licet aequiori jure inter magnae Matris, seu Bacchi mysteria referendos essent.

X X V I.

C I R C U S.

QUicunque doctrina, ac dignitate spectabiles viri Museum meum inviserunt cum in hanc Lucernam incidere, non argillaceum sphragisma, sed gemmam intueri professi sunt. Id opus a scitissimo artifice usque ad laboris taedium excultum tot, & tanta in se continet ornamenta, ut, vel ex uno lychno totus Circi apparatus restitui posse videatur. Etenim ejus spinam a primo ad ultimum hic expressam habemus, in qua micant universa illa religionis sacraria, quae ludorum sedem omnibus Urbis penetralibus, si quae fuerunt augustiora, exaequabant. Hic in primis tota rerum natura ludebatur, quam per singulas partes exprimere conati sunt. Quadrigae in primis ipsum solem imitari credebantur, atque illi sacrae erant. Carceres Orientem simulabant. Catrema meta contra tribunal Occidentem Isidor. lib. XVII. cap. 30. *Metarum appellatione proprie terminum ac finem Mundi designare volunt, ab eo quod aliquis emensus finis est, sive ad testimonium Orientis, Occidentisque*. Septem vero spatiis quaternis dexteris, ternis vero sinistris cursus consumabatur Propert. lib. II. 19.

Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota.

Et Ovid. Halieuticon:

Seu septem spatiis circo meruere coronam.

Numerus mysterio non caret *Quod totidem essent Errones coeli*, ut inquit Cedrenus *in descriptione Circ.*, sive quod per totidem cursus solis hebdomadae spatium finiretur, quorum sin-

guli ab ipſis Erronibus denominati ſunt, cujus inſtituti rationem in notis ad gemmas aſtriferas diligenter ſcrutati ſumus.

Medius inter metas ſurgit Obeliſcus, & ipſe characteribus Aegyptiacis quantum ſpatii anguſtia patiebatur, non obſcure inſignitus. Nihil illo aptius erat ad meridiem deſignandum, quippe id unum corporum ſoli ſubjectum undique illuminatur, nec umbram reddit. Hinc introductum eſt, ut moles hujuſmodi ipſi ſoli ſacrae eſſent, ut conſtat ex Plin. lib. XXVI. 2. & ex Ammiano Marcellino. Inſcriptio illius, qui in campo Martio ſtetit adhuc in baſi ſuperſtes clare evincit Romam etiam peregrinam ſuperſtitionem cum mole illa commigraſſe.

Inter obeliſcum, & primam metam ſacellum exurgit columnis fultum, cui delphines imminent. Hinc inferiorem aram Neptuno Equeſtri ſacram fuiſſe intelligimus, cujus in Circo maxima auctoritas fuit. Tertullian. de Spectac. cap. 8. *Singula Circi ornamenta, ſingula templa ſunt. Delphinos Neptuno vovent.* Hinc inde columnae aſſurgunt, in quibus victoriae Dearumque ſimulacra conſpiciuntur. In his etiam Romani Graecos imitati ſunt, in quorum ſtadiis columnae cum ſignis ſtatutae erant, ut conſtat ex Pauſania. Romae praeterea columnae illae Meſſiae, & Seſſiae in maxima religione habebantur, de quibus aliqua nobis delibata ſunt in diſertatione de phiala ſepulcrali, ſive de ſtadio Piſaurenſi. In hac vero Lucerna triſternae victoriae indubitanter conſpiciuntur, quarum numerus mirifice a Spartiano in Sever. declaratur. Haec ille: *Die Circenſium cum tres victoriae more ſolito eſſent locatae gypſeae cum palmis, media quae ipſius nomine adſcriptum Orbem palmis tenebat, vento ita de podio excidit.*

Ova metis impoſita propter Dioſcuros ſacra erant, ut ex Tertulliani loco citato conſtat. *Ova honori Caſtorum adſcribunt, qui illos ovo editos de Cygno Jove non erubeſcunt.* Erat praeterea in circo ſubterranea Ara Conſo ſacra. Hujus cellam ſub ipſius prioris metae baſe ſtantem adhuc adivi dum Romae eſſem in Circo Caracallae, patulam jam, & pene fatiſcentem, quanquam veteres occultam eſſe voluerint, eo quia conſilia, quibus Conſus praeerat occultari debere reputarent. Erant praetera in Circis Arae Diis Samothracibus dicatae, Eurypus quoque Oceani imago, & ipſe facer, ſacrae factiones

nes ob quatuor anni tempora, facri equi Defultorii, qui ftellis, praefertim vero Hefpero, & Lucifero, dicati erant, ac Diis praecipuis, in primis vero Marti, ac Jovi, ut conftat ex Ifidoro lib. XVIII. cap. 27., quadrigae infuper ad imaginem Solis, & Bigae, ad exemplum Lunae agitabantur, ut jam grande opus religionis confumaffe fibi videretur, qui diem in harumce nugarum fpectaculo infumpfiffent.

Arenam occupant in parte antica binae quadrigae decurrentes, totidemque in poftica fpectaremus, pro ut in vitro Pifaurenfi, fi Lucernae conditio, ut in fingulari illa phiala, duplicem Circi afpectum admififfet, ut fingula factio fuam numeraret. Has vero prae ceteris miffionibus fculptores praetulerunt, eo quod non modo nobiliffimum, fed & primum locum in muneribus obtinerent. Dionyf. lib. VIII. de Circo loquens primas quadrigis attribuit: *Primum certamen erat quadrigarum.*

Humi proftrati fub equorum ungulis manus attollunt quadrigarii e curru excuffi. Cafus ifte non modo frequens erat, fed ftudiofe provocatus, praecipue ante editorum tribunal ad rifum ciendum, & quadam artis oftentationem, atque ita alii aliorum rotas excutiebant, ut inde ductores profternerent. Plutarch. in Sylla: *Cum evertiffent currus Romani cum rifu alios petebant, ut folent curulibus fpectaculis.* Et Divus Chryfoftomus Serm. de human. *Aurigae praeter elufo totius populi theatro contendunt eo loco adverfariorum currus fubvertere ubi Regem viderint fedentem.* Hinc inolevit, ut rectores currum equorum lora cingulo ita fibi commendarent, ut excuffi equos fequerentur, donec illos continerent, nec fub aliorum rotis eliderentur. Quapropter ejectos aurigas a quadrigis trahi dixit Arnobius lib. VII. *Sed quos tamen gaudere tranfire, tranfiri pronos, & cernuos ruere cum curribus refupinos; verti, trahi, alios curribus, & claudicare perfractis.* Et Statius Thebaid. VI.

. . . . . . Ruit ilicet exul
Aonius, nexufque diu per terga volutus
Exuit, abripitur longe moderamine liber
Currus.

Quem locum Lutatius ita interpretatur, ut lora equorum,

quibus sese auriga praecinxerat difficilius exsolverit, ne ab equis raptaretur. Notabile vero aliquando fuit vacuas quadrigas, moderatore excusso ad palmam pervenisse, ut Plin. lib. VIII. 42., & Solinus c. 46 tradunt. Podium geminis turribus adornatur,quale in eodem Caracallae Hippodromo extitisse adhuc ruinae evincunt, ibi praetor, aut consules, sive Agonum praesides insidebant. De hac spectaculi parte videndus Vitruvius lib. v., atque ea, quae in praecitata dissertatione observavimus.

X X V I I.

QUADRIGARIUS VICTOR CUM DUPLICI PALMA.

VIdes in hac Lucerna agitatorem Circensem solito aurigantium habitu, seu tunicula ornatum, cujus thorax e contextis fasciolis constabat, sublimem curru vehi geminas hinc inde palmas sustollentem. Mos enim fuit Hieronycis triumphali cultu decorare, ut constat ex Vitruvio in praefatione: *Nobilibus Athletis, qui Olympia, Pythia, Istmia, Nemeaea vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, ut non modo in conventu stantes cum palma, & corona ferant laudes, sed etiam cum revertuntur in suas civitates cum victoria triumphantes quadrigis in moenia, & in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Illorum vero potissimum insigne erat palma, quapropter ad palmam pervenire, palmam occupare dicebantur, ut apud Plin. lib. VIII. cap. 92. per palmas vero victorias numerabant, ut in marmore Gruteriano.

Marcus Aurelius Polinices vicisse dicitur Palmas DCCXXXVII. in Russeo, DCCXXV. in Prasino, IV. in Veneto, XII. in Albo, XVII. Decemjuge, VIII. Sejuge. Quod vero artifex huic nostro aurigae duplicem palmam attribuerit, ideo fortasse factum est, quod unus & idem agitator postquam quadrijugo vicisset, iterum bijugo, vel sejugo, aut aliquo alio decursionis genere aliquando vicisset. Aliquando qui in una factione primas meruisset colore immu-

tato

tato, in alia quoque pro palma contendebat, quod colligitur ex Helii Longi lib. de Ortographia, ubi versis pannis agitasse aurigas scripsit. Huc etiam referunt nonnulli Martialis Epigramma CXXXI. lib. XIV.

Si Veneto Prasinove faves, quid Coccina sumis,
Ne fias ista transfuga sorte vide.

Fortasse geminae palmae non duplicem victoriam indicant, sed Circensem virtutem, ut qui hinc inde palmatus effingitur, insigni victoriarum numero claruisse intelligatur.

X X V I I I.

QUADRIGARIUS VICTOR CUM PALMATIS.

QUantum haec Lucerna priori equis concedit, artificii venustate, (redolet enim imperitissimum artificem, & declinantis artis invenustatem) tanto illum praeit eruditione, equos enim jugales ornatos refert ingenti quodam pectorali reticulato, cujus usum fuisse conjicio non modo ad venustatem conciliandam, verum etiam ad jugum fortius, atque indissolubilius continendum; exteriores enim equi, quos lorarios appellabant, quippe qui frenis regebantur, nihil tale ostendunt. Eorum vero capita non pinnis, sed palmis citra ullam haesitationem adornantur. Dum Lucernam hanc illustrandam suscepissem, mihi ad manus redit icon vitreae camellae, quam ex thesauro suo publicavit Fabrettus Inscription. cap. VII. pag. 537. In qua fere hic idem typus exhibetur. Equi palmati apparent, omnes vero simile reticulatum pectorale, licet humilius, praeseferunt, nisi quod medii jugales praeter pectorale, etiam lato collari muniuntur ad jugum continendum, quo Lorarii destituuntur, ex quibus geminis monumentis licet materia adeo dissimilibus facile colligitur phaleras istas, atque monilia, sive interim reticula appellare velimus maximo in usu fuisse apud Circenses.

XXIX.

X X I X.

EQUI DECURRENTES.

EQuorum decurrentium imago hic expressa ad seculares ludos alludit, qui in M. Julii Philippi Consulatu III. celebrati sunt, quod non obscure indicat officinae Palatinae subscriptio ejusdem imperatoris nomine decorata. Post equos schema Circi adumbratur potius, quam repraesentatur adeo vero imminutum est, ut omnino videatur artificem eam artem coluisse, qua corpora ab oculis sensim recedentia artificiose extenuantur. Templum Hexastylon Circo imminet. Hujusmodi temporaria quandoque in ipsis Circis excitabantur, ut spectaculorum religio postulabat, quod saepe notavit Bonarotius, in notis ad nummos Carpin., & signanter ad Septimii II. Fortasse non me fallit opinio templum id Romae aeternae dicatum esse, quod in ipsius Philippi nummis intuemur. Id foro imminebat, in quo saepe saepius spectacula praesertim inferiori aevo exhibita sunt, atque ille ambitus in exedrae formam sinuatus, qui in hac Lucerna conspicitur, ipsique templo ex unica parte adhaeret, temporarium aliquem hemicyclum ostendit, qui a templo Romae ad Capitolium usque continenti opere ductus esset, eamque Fori partem clauderet simul, atque adornaret. Praeter Quadrigarum missiones, habuere veteres singularium equorum cursus. Dionys. lib VII. *Primum certamen in Circo erat quadrigarum, & bigarum, & equorum non jugatorum cursus, sicut apud Graecos olim in Olympiadibus, usque ad haec praesentia tempora.* Quod vero hasce equorum decursiones non in Circis, qui multi ea etate erant, sed in foro haberentur multiplex ratio adduci posset. Sed ea in primis, quod occupatis jam universis spectaculorum sedibus ab operosissimis machinis, per quas haec munera, & praesertim venationes summo cum apparatu decorabantur, ampliora quaelibet Urbis loca, officio succederent, & theatra multiplicia fierent, ubi praesertim spectacula simpliciora, minusque periculosa exhiberentur.

XXX. & XXXI.

EQUI CIRCENSES.

STat equus Circenſis jam emenſis ſpatiis, quieti maturus, & pene otioſus prope columnam, virtutis inſigne, ſeu metae ſymbolum, cui veluti partum trophaeum, urna palmis ornata inſiſtit. Cum enim figuli ſigillatores aliquando equos curſu dimicantes, ſaepe etiam triumphantes expreſſerint, illos etiam qui palmas ſibi peperiſſent vacuos, & feriantes poſt victoriam ſub hoc ingenioſiſſimo typo effingere non neglexerunt, & cum plerumque pictura tempus tantum praeſens ob oculos ponat, illud hoc conſilio aſſecuta eſt, ut praeteritum etiam mirifice exhibeat. Equis vero, per quos palmas adepti eſſent, maximus a Graecis honos ſemper habitus eſt, ut refert Pauſanias; nam Eliacorum poſteriore ait primum omnium Chleoſtenem Olympiae ſtatuas equorum, per quos ad victoriam pervenerat, inſcriptis eorum nominibus poſuiſſe. In priore vero libro refert Cynioſcam victoriae monumentum equos dedicaſſe. Memorantur alibi Miltiadis, & Evagorae ſimilia dona. Non ſic apud Romanos, qui cum virtutem Circenſem magis venalem habuerint, equos ſuos parcius honorarunt, vitro tantum & argilla contenti, & minutulis gemmis, quibus equorum victorum memoriam conſignarent.

Urna Cippo inſiſtens ejuſdem formae eſt, quam in Graecorum nummis intuemur. Eorum uſus fuit, ut verſata in illis equorum, ſeu athletarum nomina ſortito extraherentur, ut quem cuique ſors tribuiſſet, locum obtineret; Quod manifeſte oſtendit Homerus Illiad. XXIV. v. 355.

Putat tamen idem laudatiſſimus Bonarotius ad eundem nummum II. Septimii, haſce urnas quae columellis, aut menſis impoſitae ſunt, eſſe ipſa praemia victoribus conſtituta, quibus Heroum more lebetes, aut crateres dono dari ſolebant, quod rurſus pluribus oſtendit ad nummum III. Caracallae, & II. Valeriani, quae dona publice exponi ſolebant, ut conſtat ex Virgilio in V.

Munera principio ante oculos circoque locantur

In medio, ſacri tripodes, virideſque coronae,
Et palmae, pretium victoribus.

Sequentis tabulae Lucerna argumentum prioris facile complectitur, nam ſimilem equum Circenſem exhibet, contra quem columella, per quam meta deſignabatur, ſtatuta eſt, ex qua quinae palmae prodeunt multiplicium victoriarum, haud dubium argumentum.

X X X I I.

BIGA CUM BINIS AGITATORIBUS.

IRrepſit haec Lucerna inter Circenſes, eo quia bigam exprimat. Cum vero ejus formam diligentius ſcrutatus eſſem, geminoſque in carruca non inſtantes, ſed ſedentes, & quod amplius eſt clava munitos obſervaſſem facile in ſententiam veni non homines hic, ſed Deos repraeſentari, qui Thuſcorum more plerumque gemini cum compare ſua in vehiculo locabantur; Hercules praeſertim, qui clava inſignitus cum ſua Hebe in biga depictus eſt in inſigni vaſculo, qui cum ceteris propediem in lucem prodibit. Dii ut plurimum ſic ſedentes in vehiculo effingebantur, ad quandam ſpeciem quietis, & felicitatis in ipſo motu denotandam. Hinc Claudianus:

Jungit amor laetamque vehens per nubila Matrem
Gemmato temone ſedet.

Clava vero & ipſi Herculis conjugi data eſt, eo quod ſaepiſſime Deorum ſymbola Deabus attributa videantur, ut ſicuti ſub duplici ſexu eamdem poteſtatem exprimebant, ita illius indicia utrique ſpeciei communicarentur.

X X X I I I.

VICTORIA BIGAM AGENS.

PUtarunt viri docti, quos inter dignitate aeque, ac doctrina Clariſſimus Bonarotius Graeci inſtituti eſſe victoriam in biga efformari, ut qui e bigis pugnabant, unde

de victoriam peperissent, exprimerent. Cum vero haec ratio minime conveniat Romanis, quibus nullus bigae usus nisi in circo fuit, huic origini potius referendus est Victoriae typus, si quando in gemmis, nummis, marmoribus, & lucernis latini operis bigas agitare repraesentatur. Constat siquidem novos Magistratus splendidissima spectacula edere consuevisse, quae populi desiderium penitus occupabant. Omnium vero numinum ratio in spectaculis habita est, potissima vero Victoriae, cujus instinctu omnia in circo regi autumabant. Hinc plures ejus arae, & plura simulacra infra metas, & super columnas assurgebant, ut supra notavimus. Quin imo Victoriae thensa Jovem ipsum, ceterosque Deos praecedebat, quod manifeste colligitur ex Ovid. lib. III. Amorum Eleg. 2. ubi circensem pompam a Victoria exorditur.

Prima loco fertur passis Victoria pennis.
Huc ades, atque meus fac Dea vincat amor.

Subest etiam alia ratio, cur Victoria curulis expressa sit; nempe traditio constans per quam Diis omnibus vehicula tribuebantur, quod vulgarius est, quam ut longa exemplorum enumeratione comprobetur. Magnam enim divinitatis imaginem imprimere hominibus putabant, si quadrigis illam extollerent, quibus & regiam potestatem, atque rapiditatem, ut poterant, designabant, quam allegoriam saepe etiam apud sanctos Prophetas usurpatam invenio, praesertim vero in cantico Habacuc, quo uno lyricae poesis exemplo quidquid apud Graecos, Latinos, Italos, ceterasque nationes boni est, longe superatur.

X X X I V.

VICTORIA GRADIENS.

Victoria aliquando globo insistit, ut in Lucerna LXXVII. tom. II. Quandoque alte volans veluti suspensa, & incerta, & neutri partium favens cernitur. Saepe etiam gradiens effingitur, ut in Lucerna LXXVI. eodem volumine, in qua supra caput victoris lauream protendit. Quid plura?

bigas agitat, tauros mactat, thus aliquando adolet, omnibusque hominum institutis numen omnibus votivum, ut ait Symmachus, accomodatur.

Peplum Deorum commune pallium, quo humeros velat, rursumque in brachia reductum in lacinias undulantes venustissime pendet, dignissimum est, quod accurate observetur. Ceterarum Dearum extima indumenta ab humero sinistro profecta in laevum cubitum recurrunt, dextro plerumque exerto. Illud vero, quo Victoria adornatur, nec pallam, nec stolam exprimit matronarum, sed mantile quoddam quadratum, quo feminae Etruscae sacrificaturae brachia sibi obvelabant. Quia vero res prolixiori disputatione indiget, integram propriae sedi reservabimus.

X X X V.

MAXIMIANI CAPUT.

INsignitur haec Lucerna Maximiani Herculei imagine, cujus lineamenta in ipsa operis simplicitate neminem latent. Ejus caput laurea redimitur, quam nulli lemnisci exornant, fortasse vel praetermissi, vel ipsi coronae attorti, cum contra in nummis semper appareant. Quod animadvertens, Lucernas omnes coronatas excurri, quae oppido multae apud me sunt & variae, neque ullos in illis lemniscos observavi. Id factum puto in gratiam severae antiquitatis, quae coronas puras in pretio habuit, expetito ab Etruscis peregrino hoc additamento ad luxum in donaticis augendum, ut fierent sumptuosiores. Sic Plinius lib. XXI. cap. 3. *Crassus dives primus argento, auroque folia imitatus ludis suis coronas dedit. Accesserunt, & lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat propter Etruscas, quibus jungi, nisi aurei non debebant.* Cum vero ceteri artifices hunc luxum exceperint, soli figuli suis ab operibus rejecerunt, & veterem illam coronarum parsimoniam, quam a Numa eorum institutore traditam acceperant, plerumque retinuerunt.

Imperator toga triumphali ornatur, quam palmatam quoque nuncuparunt. Hinc Martialis ita loricam Caesaris alloquitur.

Ica-

I comes, & magnos illaesa merere triumphos,
Palmataeque ducem, sed cito redde togae.

Et Sidonius in Paneg.

Post palmam palmata venit,

quod manifestius declaravit Servius ad 12. Eneid. *Palmatam dici tunicam, quam merebantur, qui reportassent ab hostibus palmam.* Non modica vero suboritur difficultas, ex quo aliquando, praesertim inferiore aevo, eodem nomine non triumphalis, sed communis, atque ordinaria consulum vestis dicta sit; ita enim Ausonius in gratiarum actione pro consulatu Gratianum alloquitur. *Dimicaturus palmatae vestis meae ornamenta disponis: parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges, te coram promi jubes; haec est picta, ut dicitur vestis non magis auro suo, quam tuis verbis.* Ut vero errorem omnem avertamus, observare oportet palmatam triumphalem longe diversam a palmata consulum extitisse, ut antiqua monumenta clarissime evincunt. Occurrunt enim in nummis Imperatorum imagines habitu triumphali intima tunica contecti, supra quam pallium quoddam extenditur, quo uterque humerus, & brachia conteguntur. Circa pectus loro constringitur, infra quod ita apertum est, ut inde brachia exerantur. Nec religioni detraxerim, si vestem hanc nostrorum sacerdotum *Pluviali* assimilarim, quod ab ea origine procedere jam nullus ambigo. Haec vero illa vestis est, qua Imperator in hac Lucerna insignitur; eademque videmus indutum eundem Imperatorem cum collega suo Diocletiano in majoris moduli nummo apud Angel. num. 11., & ne minimum dubitemus, an vestis illa triumphalis sit, posticam nummi partem adeamus, geminosque principes triumphali curru invectos aspiciemus. Eodem cultu ornatur Maxentius in alio nummo, in cujus obversa parte notatur *Victoria aeterna* apud eundem Angelonum num. 1. Rursus in altero Diocletiani in Museo Carpineo Tab. 21. num. 1. Nec non in alio Numeriani globum victoriatum tenentis apud Bandurium, apud quem non dissimiles occurrunt Constantii, & Crispi Caesaris, qui fere semper triumphali sceptro decoratur. Hoc vero indumentum ad triumphum pertinere confirmat Augusti argenteus nummus omnium an-

 tiquior,

tiquior, in cujus antica parte quadriga triumphalis expressa est, in alia vero sceptrum aquiliferum, corona, & demum haec toga quae inferiorem tunicam circumplectitur. Quod vero *Pluviali* persimilis fuerit, confirmat illius descriptio apud Dionys. Halicar. lib. III. *Toga picta fuit amictus non ut Lydorum quadratus, sed semicircularis.*

At palmata consulum ab ista longe aberat; tribus enim insignibus inferiore aevo ornabatur. Audiamus Valeriani Imperatoris verba, quibus Aurelianum Consulem designavit apud Vopiscum. *Cape palmatam, togam pictam, subarmalem profundum.* Haec omnia in Dypticorum imaginibus adamussim expressa sunt. In primis induuntur consules talari tunica, quam subarmalem profundum esse censuit Bonarotius ad Dypticum Basilii. Huic tunicae superimponitur toga picta, quam frequenter Ausonius praetextam suam appellat, nam in praetextae modum ex humero sinistro ad tibias usque dependebat. Iterum eodem humero per dextrum latus in pectus recurrebat, & dextro brachio penitus exerto iterum in sinistrum rejiciebatur. Hanc vestem Etruscis olim familiarem, a quibus Romani susceperunt, quadratam fuisse omnia monumenta nobis ostendunt, cum quibus etiam Dyptici conveniunt; quapropter Dionysius supracitatus recte distinguit togam pictam semicircularem, a Lydorum quadrata, quo nomine Romanam antiquam intellexit. Huic demum trabea superponebatur, fascia nempe oblonga quam in sequente nota descripturi sumus.

Quamquam vero Imperatores peculiari toga triumphali uterentur, de qua supra actum est, nihilominus hanc etiam consularem consulari dignitate praediti, praesertim cum processus agerent, aut ludis assisterent, induerunt, ut constat ex nummis Maximiani, & Diocletiani, in quibus tamen scipionem triumphalem nunquam ostentant, sed ejus loco mappam circensem, qua missum indicebant, quae insignia convenienti togae constanter copulata, utriusque diversum officium manifestissime ostendunt, ut pro certo jam habeamus palmatam, qua in hac lucerna Imperator decoratur, triumphum praesignare. Haec vero tantae dignitatis habebatur, ut in cella Jovis custodiretur, atque inde in usum

trium-

triumphorum desumi soleret. Hinc apud scriptores Jovis tunica, sive capitolina frequenter audit. De hac Capitolinus in Gordiano *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cum antea Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio*. At contra palmata consularis ab Imperatore singulis consulibus propria mittebatur, ut constat ex Ausonio in Grat. act. *Palmatam, inquis, tunicam tibi misi, in qua Divus Constantius parens noster intextus est*. Quod etiam ex praecitatis Vopisci verbis confirmatur *Cape palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam, nam te consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces, haec enim Imperator non solet dare, sed a senatu quando fit Consul, accipere*.

Caput Serapidis, quo manubrii loco haec Lucerna adornatur, nihil cum illa commune habet. Adjiciebantur haec parerga pro libito figulorum, ut pro omnium religione, atque cupiditate ita adornata prostarent in tabernis. In nonnullis aliis, quae apud nos asservantur, protomes Isidis assurgit. In aliis Jovis caput Lunae inclusum. In altera apud Bartolum, rursusque in speciosissima, quam damus infra numero LI. integrum Deorum lectisternium conspicitur. Haec vero Deorum praesertim inferorum simulacra Lucernas sepulcrales convenientissime decorabant, ut quae alioqui civilibus insignibus ornatae erant fierent hoc additamento religiosae.

X X X V I.

GEMINORUM AUGUSTORUM PROTOMES.

SUperioris Lucernae argumentum facile hanc etiam complectitur, quae cum deteriori stylo elaborata sit, vix nobis conjectandi locum relinquit, quorumnam Imperatorum lineamenta in expressis imaginibus agnoscenda sint: unum pro certo colligimus illam sub duobus principibus una simul imperantibus effictam esse, ex quo illam facile ad Diocletianum, & Maximianum Augustos referimus,

vix

vix enim puto ſub Philippis, aut Gallienis, multoque minus ſub Antoninis tetricam iſtam ſigillariae artis rationem Romae adhibitam, ſequentium vero ſaeculorum Imperatores hic referri nunquam putaverim, quum poſt tempora Conſtantiniana ingenium figulorum ad alia ſe contulerit, praeſertim extincto penitus Romae Lucernarum figurandarum artificio, ut in prolegomenis ad Lucernas Chriſtianorum aliquando demonſtrabimus.

Neque iis aſſentirer, qui forte in hoc lychno par aliquod Conſulum formatum eſſe dubitarent, argumento laureae, quo gemini decorantur, quod decus minime attributum Conſulibus eorum, & ſequentium temporum Dyptici omnes evincunt.

Indumentum vero quo laureati Caeſares induuntur, quod limbo ſcutulato exornatur, conſulare eſt, atque idem fere quod occurrit in dypticis, longe diverſum a triumphali, namque hic non obſcure limbus idem ſiniſter dextero ſuperimponitur. Ejuſdem veſtis exemplum occurrit in nummo Diocletiani apud Angelonium num. I. itidemque Maximiani apud eundem num. I. iterumque Diocletiani apud Bandurium tab. I. num. III., atque alibi frequenter, in quibus nummis Imperatores manu mappam protendunt, cujus argumento commonemur veſtem hanc, trabeam illam fuiſſe, qua conſules eorum temporum diſtinguebantur, quaque in proceſſibus ordinariis, aut iis, quos repentina occaſio poſtulaſſet, in publicum prodibant, ludiſque praeſidebant. At longe aberat a triumphali cum in nummis, in quibus illa Imperatores honorantur, nunquam mappam, ſed ſceptrum inſidente Aquila exornatum protendunt.

Conſularis trabeae, qua declinante Imperio Conſules utebantur, formam deſcribere docti viri conati ſunt; & duo obſtiterunt, quin rem attigerint; ſcriptorum nempe diſſonae nuncupationes, qui veſtem hanc modo palmatam, modo vero trabeam, aliquando & cinctum gabinum appellarunt, ut conſtat ex Auſonio in gratiarum actione. *Dimicaturus palmatae veſtis meae ornamenta diſponis. . . . palmatam tibi miſi, in qua Divus Conſtantius parens noſter intextus eſt. . . . . Sellam currulem, ut praetextam meam purpurae*

purae tuae luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam praestares. Accedit difficultati earundem vestium imaginem, nonnisi in graecanicis picturis, dypticis consularibus, aut nummis apparere, in quibus antica tantum pars descripta est, nec ea monumenta praeseferunt quomodo ejusdem vestis circumjectus per terga gestantis recurrerent. At omnium unus Bonarotius, qui id argumentum multiplici dypticorum collatione complexus est, rem proxime attigit. Ita ille ad Dypticum Basilii. *Il nostro console à sopra tutte le vesti la toga pitta, nominata da Vopisco in secondo luogo tra le vesti Consolari. E' questa parimente propria de' soli trionfanti, ma poi, come si è accennato parlando della tunica palmata, e delle altre insegne trionfali venne ad esser comunicata ad altri, e specialmente ai Consoli* (pace tamen dixerim tanti viri, vestem triumphalem ab hac Consulari longe differre supra notavimus) *ed essendo sul principio abbondante di panno, di poi per maggior facilità di portarla, e pel riguardo di non avere un soverchio peso adosso, e per esser ripiena di ricami, fu ridotta a poco a poco ad una forma più angusta, e finalmente ad una semplice striscia. Questa toga pitta à Basilio sopra le spalle, e gli ricasca avanti sul petto, e girando per la parte di dietro, gli ritorna di nuovo avanti giù basso.* Et in notis ad nummum Aureliani Musei Carpinei, inde pallium Archiepiscopale originem desumpsisse conjicit. Si tamen vir doctissimus prae manibus habuisset Dypticum Boethii, in quo duplici aspectu Consul repraesentatus est, animadvertisset in posteriori tabella fasciam illam, quae ad pedes usque decurrit, non a pectore dependere, ut in pallio Archiepiscopali, sed originem ducere ab humero sinistro, atque inde recta ad pedes usque defluere. Eadem vero fascia ab humero sinistro per tergum recurrens iterum super humerum dextrum apparet, unde in sinum trabeae inclusa, & inserta dexteram sui extremitatem occultat, quapropter non Archiepiscopale pallium, sed sacerdotalem stolam imitatur. Quae vero ejusdem operis iterum sinistrum humerum superne tegit, ad praedictam fasciam minime pertinet, sed orarium est, ut manifeste ostendit Dypticum Leodienses Ana-

stasii

ſtaſii apud Ferrarium in Analectis de re veſtiaria cap. XIX. cui in poſtica appenſum erat pallium illud quadratum, quod ad inſtar veteris praetextae per dexterum latus ſub brachio exerto recurrens in ſiniſtrum brachium reiciebatur, quae omnia niſi hoc pacto explicentur, non video quomodo obſcurus ille trabeae circumplexus valeat explicari. Si vero mavis ab hac veſte Conſulari orarium excludere, quod etiam Rubenius de Re Veſtiaria lib. I. cap. XIII. opinatus eſt, minime diſſentiam, quum utraque illa ora faſciae, quae humeros ornat, quaeque frequenter in nummis Probi poſteriorumque Caeſarum loricae ſuperponitur, eſſe poſſit illud lorum, quod Imperatorum collo circumponebatur, a quo faſcia nulla ad pedes dependebat. Utcumque vero res ſe habeat productior illa faſcia minime ad humeralem pertinet, etſi interim ex eodem opere facta obſervetur. Aſſentior tamen Bonarotio cenſenti trabeam in hanc unam faſciam abiiſſe, quae toge pictae ſuperponebatur, quam Auſonius praetextam ſuam appellat, quia revera aperta & quadrata, praetextae magis, quam togae accedit, quam ex purpura fuiſſe conſtat ex eodem Auſonio *Praetextam meam purpurae tuae luce fucatam.* Hanc Cinctum Gabinum vocat Claudianus de tertio Conſulatu Honorii.

> . . . . *Cinctuſque imitata Gabinos*
> *Dives Hydaſpeis fulgeſcat purpura gemmis*,

ſecutus veterem nuncupationem in re diuturno uſu penitus deformata, quippe nullum veteris cinctus Gabini veſtigium in dypticis recognoſcimus. Quia vera trabea togae ſuperponebatur, illam armis ſuccedere ſubdit Claudianus eo prorſus modo, quo arma veſti ſubarmali ſuperponi ſolebant.

> *Succedant armis trabeae*

unde cognoſcimus trabeam a toga ſeu cinctu gabino Claudiani diverſam fuiſſe. Quod etiam colligitur ex Virgilio.

> *Ipſe Quirinali trabea cinctuque gabino*
> *Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul:*

quae optime conveniunt cum noſtra deſcriptione, in qua utrumque diſtinguitur.

XXXVII.

XXXVII.

CONSUL SUB CONOPEO.

COnful dignitatis infignibus decoratus, praecipue vero trabea, atque orario fcutulato, protectus conopeo, quo confularis fuggeftus vel in publicis conviviis, vel cum circenfia ederentur fieret fpectabilior, in hac Lucerna videndum fefe offert. Vix enim puto in forenfibus officiis, in quibus corruptis jam moribus, aliquid de veteri feveritate fuperfuit, peregrinum hoc, diuque execratum luxuriae commentum fuiffe adfcitum; quapropter Propertius III. IX.

Foedaque Tarpejo conopea tendere faxo.

& Horat. Epod. IX.

Interque figna, turpe, militaria.
Sol afpicit conopeum.

Magis vero arridet mihi Confulem ipfum hic repraefentari fpectacula edentem in podio, cujus profpectus velis concinne appofitis quodam veluti umbraculo protegeretur ad folem arcendum, conciliandamque majeftatem; quapropter exprimitur mappam proferens ad fpectacula commovenda. Quamquam enim amphitheatri cavea communibus velis furfum protenfis tegeretur, video nihilominus umbellis peculiaribus fpectatores fefe defendiffe, vel ubi ventus ingentia carbafa protendi negaret, vel ubi in circo fpectandum effet, ubi nulla vela fuiffe legimus. Probat hoc Martialis Fpigram. XIV. XXV.

Accipe quae nimios vincant umbracula foles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Conopei forma fpectatu digna eft; e pariete producuntur brachia duo, vel lignea, vel ferrea leoninis capitibus ornata, ut plerumque erant clavi trabales, qui hujufcemodi bullis ditabantur, producta ad illos etiam luxuria artificum. Quadratum aulaeum illis impofitum eft, ut fuperne praetenfum umbraculi loco effet, quidquid vero retrorfum propenderet; parietem obvelaret. Interim defuper ora aulaei pendet inter Leonum capita laciniis hinc inde pendentibus, ut plica plicae impofita fenfim decrefcens, in

ipſum, ut ajunt, poſtergale perbelle deficiat. Nihil aptius meo judicio poterat in tota antiquitate inveniri, quod melius Antiſtitum noſtrorum referret conopea vulgo *baldacchini*; & fortaſſe in hoc ſchemate aliquid venuſtius obſervatur, recedente ipſa pictoris licentia feliciter audentis a tetrica illa, atque vulgari forma, quam ſemper intuemur, atque omnes norunt.

Varias conopei formas atque ornatus videre eſt praeter antiquas picturas qua Ethnicas, qua Chriſtianas in marmoribus ac ſarcophagis Vaticanis apud Arringhium lib. II. cap. X. pag. 323. iterumque in alio pag. 333., in quibus Matronae orantes extenſis manibus expreſſae ſunt ſub umbraculo pariformi, niſi quod leonini capitis loco velum ipſum hinc inde in nodos intumeſcit. Semper vero haud vulgaris dignitatis indicio ſunt, quod ipſe locus ſepulturae nonniſi viris ſummis attributus facile confirmat.

X X X V I I I.

IMPERATOR TOGATUS.

HAnc Lucernam moles, artificium, atque ornamenta commendant, in primis vero Domitiani Imperatoris imago, quam profecto agnoſco ex officinae ſubſcriptione

Flavia Domini, & Dei noſtri.

Conſulari vero indumento ornata eſt, addito in ſiniſtra volumine, quod codicillum propriae deſignationis ſignificat. Fortaſſe etiam ſub ea imagine delineatus eſt, qua inter principatus initia non ſine laude jus reddere ſolebat, ut refert Suetonius in ejus vita cap. VIII. *Jus diligenter, & induſtrie dixit. Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitioſas centum virorum ſententias reſcidit.*

Aliquem etiam ex ejus conſulatibus ſubindicat corona querna, quae interpoſitis glandibus totam imaginem ambit. Hanc vero inter cetera ornamenta novis conſulibus attributam probat Libanius progimnaſ. 179. Quanquam cum de Imperatore ſermo ſit, ut quernam coronam obtineret conſulari dignitate non indigebat, illam enim Caeſaris po-

ſtibus

ſtibus perpetuo ſuffixam habemus ex Valerio Max. lib. II. cap. 6. *Ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives ſervatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtae domi ſempiterna gloria triumphant.* Id de Auguſto teſtatum facit Dio. lib. LIII. *Auguſto Caeſari multi erant bonores delati, nempe ut ante ipſius domum in palatio lauri, ac ſuper eas coronae ſuſpenderentur.* Idem confirmavit Ovidius Triſt. lib. III. Eleg. I.

Inde petens dextram porta eſt, ait, iſta Palati. . . . .
Augurium menti querna corona dabat.

Claudius quoque hujuſcemodi coronam *Palatinae domus faſtigio affixit.* Demum Domitiano inter cetera aſſentationum ſtudia, quernam coronam fuiſſe oblatam oſtendit nummus majoris formae apud Vailantium, inter numiſnata in coloniis percuſſa hoc ſimbolo adornatus.

X X X I X.

FASCES, SELLA CURULIS.

NEque faſces neque curulis ſella novum quidpiam producunt, cum ubique vulgaria ſint haec magiſtratuum ornamenta. Sed non identidem vulgare erit illa in Lucerna conſpicere, & ea quidem ſepulchrali, ut oſtendit Meduſae caput horrens atque ore patulo terrificum, ex quo mixum ignitum ex oleo latente rutilaret; hoc vero ſpectrum, atque inter Hecatea praecipuum, ad rem ſepulchralem pertinere docent non modo Etruſcorum cineraria, quae undique certatim in lucem proferuntur, ſed & latina ſimul, ex quibus unum marmoreum geminis gorgonibus aſperatum nuper Roma ad te miſſum eſt, Oliveri Hannibal praeclariſſime, quodque in Muſeo tuo aſſervatur. Quid vero ornamenta Magiſtratuum cum Lucerna ſepulchrali commune habeant facile intelligent ii, quos minime latet in funeribus omnia ſimul defunctorum inſignia elata fuiſſe, ut mortuorum memoria iis virtutum teſtimoniis celebraretur. Quare Tacitus Annal. lib. II. Germanici funus recenſens haec prodidit. *Honores, ut quis amore in*

Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique, ut nomen ejus saliari carmine caneretur, sedes curules Sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur.

X L.

T H E N S A.

MUlta fuere vehiculorum genera, quibus antiqui utebantur, carpenta, carrucae, currus, pilenta, plaustra, rhedae, essedae, basternae, & his similia, quorum diversa nomina, diversas etiam formas, atque diversos usus denotabant, quorum imagines referunt nobis frequentissime antiqua monumenta, praesertim vero nummi, in quibus haec omnia observantur. At haec fercula, quaecumque ea fuerint, in hominum usum concinnata, patula plerumque fuisse apparet, ut ii, qui in illis veherentur, vel patentibus lateribus, vel saltem ex antica parte conspicerentur. Quod praeter vetera monumenta, etiam scriptores fere omnes testati sunt. Talia fuere, quibus Vestales procedebant. Prudent. contra Sym. lib. II.

Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesque adolet prunas innupta Sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitae virgo spectabilis Urbi.

Quod vero in singulari hac Lucerna spectatur omnino circumclausum, nullum ex profanis vehiculis repraesentat, sed unam ex thensis, quibus solemnissimo ritu sacra in Circum deducebantur. Quae bis occurrunt in nummis Juliae Augustae, & Agrippinae minoris, quae quidem insignia ipsis jam fato functis constat a senatu fuisse attributa, ut illarum memoria divinis honoribus decoraretur. Illarum vero imagines huic nostrae fere respondent, nisi quod hanc non geminae mulae, sed quadriga vehit, & praeterea palmis superne per angulos quoslibet, & in fastigio dispositis adornantur. Thensam a *tenendo* dictam fuisse ait Diomedes lib. I. *Thensa Deorum vehiculum non tentum dixerunt,*

ne

ne verbum turpe ſonaret in ſacris. Aſconius vero ad III. Verrinam a *tendendo* dictas autumat, *thenſas dici putant, quod ante ipſas lora tenduntur. Quae gaudent manu tenere, & tangere, qui eas deducunt.* Agretius vero vetus Grammaticus etiam a divinitate dici putat; crediderim a ΘΕΟΣ Deus. Sed fruſtra putamus hujus vocis originem e Latinis fontibus peti, cum haec myſteriorum inſtrumenta facile ex Etruria cum antiquis nominibus accerſita ſint, ut ferme pilenta, quae Thuſca vocat Nonius *in carrum.* Utcumque res ſe habeat, illud certe conſtat hanc vocem non niſi de ſacro vehiculo uſurpatam. Aſconius ſupra laudatus: *Thenſae autem ſunt ſacra vehicula*, quod confirmat idem Agretius. Feſtus vero etiam illius officium demonſtrans, haec habet *Thenſam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviae Deorum in ludicris circenſibus in circum ad pulvinar vehuntur.* Earum vero via erat a Romano foro, ubi populi Romani ſacraria erant per vicum Thuſcum atque Velabrum in circum maximum, ut colligitur ex Ovidio Faſt. VI.

Qua Velabra ſolent in circum ducere pompas

Et Livius lib. XXVII. *In foro pompa conſtitit: inde vico Thuſco, Velabroque per boarium forum.* Forum vero boarium ad caput circi maximi extitiſſe conſtat. Ii vero quibus thenſarum deducendarum honor impertiebatur, triumphali veſte utebantur. Livius lib. V., *quae auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus, triumphantibuſque ea veſtiti, medio aedium eburneis ſellis ſedere.*

Quot numero eſſent thenſae, quae in circum deducebantur, vix definiri poteſt, plurimae enim numerabantur. Ex his ſenas tantum numerat Ovidius Amorum lib. III. Eleg. II.

Sed jam pompa venit: linguis animiſque favete:
Tempus adeſt plauſus: aurea pompa venit.
Prima loco fertur paſſis Victoria pennis.
Huc ades & meus hic fac, Dea, vincat Amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra capit.
Plaude tuo miles Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, & media pace repertus amor.
Auguribus Phoebus, Phaebe venantibus adſit:

Arti-

Artifices in te verte Minerva manus.
Ruricolae Cereri, teneroque assurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Castora placet eques.
Nos tibi blanda Venus, puerisque potentibus arcu
Plaudimus: inceptis annue, Diva, meis.

At non ita in his describendis exactum fuisse putaverim Poetam, cum vix adducar, ut credam nullam Jovis, nullam Junonis habitam in hisce pompis rationem fuisse, praesertim cum succrescente luxuria divinitatis, Imperatorum quoque thensae deductae fuerint. Nam Suetonius in Julio cap. 76. ait *ampliora humano fastigio decerni sibi passus est sedem auream in curia, & pro tribunali, thensam & ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra, juxta Deos pulvinar.* Etiam Dio lib. XLIII. confirmat Julii Caesaris statuam in circensibus pompis cum Deorum simulacris esse vectam. Idem Sueton. in Tito cap. II. *Statuam ei* (Britannico) *auream in palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quae circensi pompa hodie quoque praefertur, dedicavit, prosequutusque est.*

Hae vero Deorum imagines, ut supra ostendimus, in circum deductae e thensis educebantur, atque supra pulvinaria reclinabantur. At non omnia, quae claudebantur in thensis, revelari populo fas erat. Colligitur id non modo ex Festi verbis, qui thensis exuvias Deorum deductas fuisse tradit, quod etiam innuere videtur Tertullianus de spectaculis, qui inter simulacra, & imagines in circum transvectas etiam exuvias memorat; verum etiam Macrobiis in x. Satur. cap. VI. *Verrius Flaccus ait cum populus Romanus pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dii despicerentur, anxiam Urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: evenisseque, ut circensium die puer de caenaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset, qui cum rem gestam Senatui nuntiasset, placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur, atque ita peste sedata puerum, qui ambiguitatem sortis absolverat, togae, & praetextae usum munus impetravisse.* Hanc autem postremam caeremoniam indicat Plutarchus in Ro-

Romulo, qui Velabri etymon inquirens, ab hiſce velis dictum putat. *Quidam dicunt velabrum eſſe aditum eum, qua in circum ex foro itur, quem qui ludos exhiberent hinc exorſi velis operiri ſoliti fuerint.* Ex hoc igitur Macrobii loco, duo manifeſtiſſime colliguntur; fuiſſe nempe in thenſis *ſecreta* quaedam ſacra, quae intueri nefas eſſet; deinde vero thenſas circumquaque clauſas ſuperne ſine tecto patuiſſe, idque religione forſan fuiſſe cautum, ut cum in pompa haec ſecreta ſacra deducerentur, non tegerentur, & coeli aſpectu prohiberentur; nam ut primum errorem Romani corrigerent, inſtituerunt, non ut thenſae operirentur, ſed via velis tegeretur. Hac etiam referri poteſt Varronis locus lib. IV. de Lingua Latina, qui quamquam obſcuriſſimus ſit, & facile corruptus, ſuſpicionem tamen noſtram auget, thenſas ſuperne fuiſſe patentes. *Praeterea ſi quod medium, ideſt umbilicus, ut pila terrae, non Delphis medium, & terrae medium, non hoc, ſed quod vocant Delphis in aede foramen, ad latum eſt quiddam, ut theſauri ſpeciem, quod Graeci* Ομφαλον *umbilicum dixerunt.* Scaliger in conjectaneis ad eum locum multa corrigit, praeſertim vero legendum putat thenſarii pro theſauri, admittitque foramen aliquod in thenſis fuiſſe, licet ad lora equorum religanda deſtinatum, male quidem meo judicio, cum lora ab iis, qui thenſas ducerent, tenerentur. Putarc. in Coriolan. *Si equus unus eorum, qui thenſas trahunt, elanguiſſet, aut ſi laeva manu prehendiſſet auriga habenas, pompam de novo decernebat inſtituendam.* Et Cic. de Haruſpic. reſponſ. cap. 11. *Puer ille matrimus, & patrimus ſi terram non tenuit, aut thenſam, aut lorum omiſit.* Quod etiam manifeſte innuit Aſconius ſupra allegatus. *Lora, quae gaudent manu tenere, & tangere qui eas deducunt.* Mihi ergo planiſſimus fit Varronis locus, ſi dicamus eum intellexiſſe foramen aliquod in ſummo templo Delphico fuiſſe, quale Romae Pantheon habuit, ne ſimulacrum in eo poſitum, a ſolis numine prohiberetur, ut *thenſarii ſpeciem* hoc eſt ad inſtar thenſarum, quae ſuperne apertae ſunt, ne Dii qui in illis vehuntur a coeli aſpectu averterentur.

Hoc ni fallor ab ipsa hujus Lucernae forma aperte colligitur, in qua nullum tectum eminet, sed nudum fastigium ad speciem operis augendam appositum fuisse videtur. Quae dum sedulo perscrutarer, occurrit mihi Tiberii nummus ejus XXXVII. Tribunicia potestate signatus, cum jam divinos honores sibi usurpasset, in quo currus vacuus quadriga vectus observatur. Quem tamen circum ubique clausum etiam in postica parte fuisse apparet, a quo quidem triumphales currus longe recedunt, qui posteriore sui parte, qua ascensus esset, aperti erant. Multa de hoc nummo hucusque eruditi philosophati sunt; ego thensam in eo recognosco, quod ejus imago in pompis duceretur, ambitu undique clauso, superne tantum patulo. Differunt vero ab his Augustarum thensae, quae non ab equis quadrijugis, ut omnes Deorum thensae, sed a duabus mulis deferuntur.

Cui Deorum autem thensa hujus nostrae Lucernae tribuenda sit, minime constat. Non inepte tamen conjicio, hanc omnium primam, in qua Victoriae simulacrum ferebatur, fuisse ex ipsis supernae nutantibus palmis, ex quibus palmaris Dea vocabatur, quaeque deinde e thensa avulsae in manus victorum pertransirent.

X L I.

CORONA SCENICA.

QUanquam Scenici artifices infames haberentur, ut ait Ulpianus lege II. §. V. ff. *de his qui notabantur infam.*, quod etiam indicavit in praefatione Cornelius Nepos, corruptis tamen moribus sub principibus, praesertim vero sub Domitiano coronarum etiam honore digni habiti sunt; qui mos ut defenderetur, placuit religione sacri certaminis honestari, quapropter idem princeps Suetonio teste cap. IV. *instituit quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum: & aliquanto plurium quam nunc est coronarum.* Quod quidem certamen *Agon Capitolinus*, & *Capitolia* passim vocatum est.

In hac vero exercitatione inter musicos adscitos esse etiam

etiam histriones ad coronam obtinendam, ex marmoribus colligimus. Horum primum occurrit apud Boissardum antiq. Rom. parte v. tab. 6.

M. ULPIUS. AUG. LIB. APOLAU
STUS. MAXIMUS. PANTOMIMORUM
CORONATUS. ADVERSUS. HISTRIONES
ET. OMNES. SCENICOS
ARTIFICES. XII

Alterum vero apud Gruter. pag. CCCXXXI. 4.

L. SURREDI. L. F. CLU
FELICIS
PROCURATORI. AB
SCEN. THEAT. IMP
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCENICOS

atque haec corona ab ipsis Aedilibus, qui certaminibus praeerant, & quorum nutu contentiones dirimebantur, histrionum optimis attribui solebat, ut tradit Donatus in Terentii vita. Multiplicia vero coronarum scenicarum exempla in antiquorum monumentis occurrunt, inter quae praecipuum numeravit doctissimus Venutius *collectan. Antiq.* tab. 76. in quo comici imago cernebatur coronis in circuitu dispositis; alterum protulit Boldettius *de sacris Caemet.* lib. I. cap. 39. tab. VIII. num. 29., vitrum nempe auro pictum, in quo comicus stans conspicitur, quem prope arula assurgit coronis onerata. Monumentis alienis domesticam Lucernam conjungimus, in qua histrionica corona efficta est, quam quidem talem esse ne dubitari contingeret in superiori parte, quae frontem ornabat, gemmae loco larva adjungitur.

In hac corona duo notanda occurrunt. Primum nempe quod frondes non sursum procedunt in frontem, ut in coronis ceteris, sed deorsum inversae sunt in illud vinculum, quod in occiput rejciebatur. An id oscitanter a sigillatore factum sit, seu potius lege aliqua, qua vilissimarum personarum coronae a ceteris discernerentur, affirma-

re non auſim, praeſertim cum id genus coronamentorum, quod in aliis munumentis occurrit, adeo exigua mole conſtet, ut hanc obſervationem minime patiatur; ſi quando autem mole majores cum hac noſtra coronas conferre continget, dubium id diſſolvetur.

Alterum vero, quod hic notatu dignum occurrit, ipſum eſt coronae ligamentum, quod nullus lemniſcus exornat; cujuſmodi inter imperatorias obſervavimus, quia forte lemniſci aliquando coronis circumplicarentur. Gymnicas vero coronas, quibus hiſtriones decorantur lemniſcis ornari, aut illis deſtitui, majoris minoriſque virtutis indicio erat. Primis namque victoribus lemniſcatae dabantur, ſecundis vero ſimpliciores. Colligitur id ex Auſonii Epiſt. 20. ad Paulinum; ubi ſe minorem in poetica laude Paulino declarans, ait.

Et quae jamdudum tibi palma poetica pollet
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Coronae iſtae Plinii aevo ex aere conſtabant. Sic ille lib. 34. cap. 8. *AEs coronarium tenuatur in laminas, taurique felle tinctum ſpecie auri in coronis hiſtrionum praebet.* Has autem coronas quernas fuiſſe puto propter Jovem, in cujus honorem haec *Capitolia* inſtituta erant. Deſumitur id etiam ex Juvenal. Sat. VI. qui feminarum inania ſtudia, quibus muſicis in agone capitolino favebant deridens, ait Deos inter ſacrificandum ſciſcitatas fuiſſe.

An Capitolinam ſpectaret Pollio quercum

& Martialis Epigram. 54. lib. IV.

O cui Tarpejas licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas.

X L I I.

GEMINAE CORONAE CUM PALMIS.

NOn aſpernanda erat inter ceteras haec Lucerna, in qua duplex corona fortaſſe argumento eſt, duobus una imperantibus principibus ob partam victoriam id decus pari cultu fuiſſe attributum; atque ſi opificii jam recrudeſcentis indi-

indicium sequamur, facile suspicabimur Lucernam hanc Diocletiano, atque Maximiano esse tribuendam, quorum diuturna felicitas diebus festis, atque solemnibus celebrandis fuit maxime opportuna.

Accedit coronis palmarum ornamentum, quae licet inter se summopere convenirent, raro tamen in Lucernis una conspiciuntur. Palmarum usum in victoria a Theseo incepisse narrat Pausanias in Arcad. *Ludis sane plerisque palmae corona decernitur, victoresque cuncti, ubique locorum palmam dextera praeferunt; ejus rei initium bujusmodi traditur fuisse. Theseum ajunt e Creta reducem ludos Apollini fecisse, victoresque palma coronasse.* Nec mirum; cum enim palma Apollini, atque Musis sacra esset, ita factum est, ut quae olim arbor unius numinis celebritati decorandae assumpta erat, inde in usum ludorum, & triumphorum auctoritate antiquitatis irrepserit. Vana igitur sunt, quae de palmae natura, iterum de pondere resurgentis narrat Plutarchus Sympos. VIII. 4. *Propterea in certaminibus palmam signum esse placuit victoriae, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat;* quum enim rudior antiquitas rerum naturam minime specularetur, atque ipsa fortuna de arboribus, quae in lucis essent, & circum loca sacra, primas faceret religiones, arbores Diis nullo habito delectu datae sunt, quas fabulae deinde succrescentes fecerunt proprias, & sacras.

Palmas vero coronis, quod ad rem pertinet, sociant frequenter scriptores. Unus pro cunctis proferatur Virgilius Aeneid. v.

Viridesque coronae
Et palmae, pretium victoribus.

Non levis tamen mihi suboritur suspicio Lucernam hanc ad Christianorum mysteria pertinere, nam illa eadem palmae recurvae, & quasi dixerim, falcatae forma, quam in ea observamus, immo ipsum opificium, atque rubricae norma communis est plerisque Christianorum Lucernis, quae in nostro Museo asservantur, ac illis praefertim, quae sacris lypsanothecis adhaerent; quae quidem ego dum cogito, anceps haereo num geminae palmae, & coronae ad col-

legas Romanae Reipublicae Principes, an vero ad clarissima illa Christianae fidei lumina Petrum, & Paulum pertineant, in quorum solemniis sicuti sacra caemeteria vigiliis frequentari, ac proinde luminibus adornari consuevisse scimus, ita lychni convenientibus symbolis ornati exponi solerent.

X L I I I.

CORONAE QUERNA, OLEAGINA.

QUoties occurrunt Lucernae coronatae, quae satis obviae sunt, dubium non modicum insurgit inter sacras ne, an inter publicas referendae sint, cum Deorum cultui pariter, atque triumphantum honori jure merito possint convenire. Vulgarior tamen illarum usus in sepulchris fuit; ubi enim quis coronam virtute sibi peperisset, post rogum, & cineres sequentem habebat, unicum actae vitae vestigium, sociumque sepulturae; atque ut auctoritate utar Ciceronis de lege II. *Illa jam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Verba mutuatus ex lege XII. Tab. *Quei. Coronam. paret. ipsius. pecunieve. ejus. virtutisque. dıditor. ipseique. mortuo. parentalebos. ejus. quum. entus. positos. est., quomque. foris. exfertor. imposita. se. frauded. estod.*

Sed non eae tantum coronae, quas vivens quisque suis sibi meritis comparasset, sepulchris inferebantur. Erant enim, quae mortuo cuilibet auctoritate religionis tribuerentur; quapropter testatur Plinius lib. XXI. cap. 3. Quod etiam apud antiquiores *coronae Deorum honos erant, & Larium privatorum, publicorumque, ac sepulcrorum & manium;* rati quosdam ex honoribus divinis posse mortuis adscribi, quia plerumque mortuos omnes inter Divos recenserent, ut fusius in Acherontico demonstravimus. Hinc illa tam frequens Poetarum sepulcra coronantium, atque sculptorum licentia, quibus nihil pronius, quam serta sepulchralibus aris insculpere, ubi area vacuis spatiis patuisset, quod domesticis

cis etiam marmoribus antiquis facile comprobamus. Alia etiam ratione mortuos coronari consuevisse, docet Divus Clemens Alexandrinus *Strom.* II. 8. *A turba, & negotio remotae securitatis signum est corona, quare ea & mortuos coronant.* Quod etiam confirmavit *Pędag.* lib. VII. cap. 2.

Inter coronas principem locum querna obtinuit ob Jovem, cui sacra arbos. Inter donaticas vero summo eadem in pretio habita est, quod cum ceterae sine clade non quererentur, hanc sola clementia virtutum maxime humana pareret; quapropter Seneca de *Clementia* I. 26. *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusve est, quam illa corona ob cives servatos.*

Quernam inter Lucernas nostras oleagina subsequitur, apprime celebris in sacris certaminibus; quapropter Virgilius in Augusti honorem ludos celebraturus Georg. III. 21.: ait

Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae
Dona feram

Ubi vero Aeneid. V. pueros describit ludentes trojam, ad Anchisis tumulum, illos pariter oliva coronatos inducit vers. 556.

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona

Tonsam autem illam appellavit, quia de tonsis olivae foliis, quae in surculo rariores essent, altera alteri superimposita perpetuo quodam ordine frondium alternatim sese proferentium coronam componerent, ex quo genere etiam una ex quernis coronis est, quam in Lucernis producimus, altera enim ex naturali ramulo prout ab stipite avulsus est constat.

Hac corona oleagina milites suos, qui navali certamine vicerant, donavit olim in Sicilia Sextus Pompejus juxta Dionem lib. 49. Uno tamen Plinii testimonio lib. XV. cap. 4. id coronamentum absolvere sufficiat. *Oleae* (ait ille) *honorem Romana majestas magnum praebuit, turmas equitum idibus Julii ex ea coronando: item minoribus triumphis ovantes. Athenae quoque victores olea coronant, Graeci vero oleastro Olympiae.*

Quas tamen coronas oleaginas nuncupamus, facile ad myrteas revocari possunt ob illam arboris formam, quam paria

ria folia vestiunt, & consimiles bacchae decorant. Utri tamen tribuendae sint in ambigua, minusque accurata fingendi ratione definire non ausim. At si myrteas esse placeat, illas sciamus esse, quas ovales appellabant ubi triumphandam esset ex victoria, quam levissimus labor peperisset, ut majoribus dispendiis sanguinis majora etiam elogia reipubblicae aequitas praeservaret. Ubi igitur sine labore res acta esset, equo phalerato, & corona myrtea ovatio agebatur teste Plutarcho in Marcello. Moris originem recenset Plinius lib. xv. cap. 29. *Triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu, qui primus omnium ovans Urbem ingressus est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat; myrto Veneris victricis coronatus incessit, optabilemque arborem ex hostibus fecit.* Hic consulatus incidit in annum Urbis 251. Cum tamen vix sub extremis principibus ovationem usitatam inveniamus, adulatio enim modos omnes praetergressa inertibus etiam, atque omnino inermibus Imperatoribus triumphos decrevit, placet coronam myrteam inter sacras computare, quarum usum *Aeneadum Genetrix* in Urbe sua, donec error Idolatriae stetit, facile sibi conservavit.

X L I V.

JANUA INTER CUPRESSOS.

SEriem Lucernarum sepulchralium aggredimur, in qua veteres nihilominus sibi blandientes, quam in ceteris, quas in vivorum usum concinnarunt, exprimere visi sunt innumeras pene humanae ambitionis divinitatem affectantis imagines, & quodammodo vivum nobis mentis suae simulacrum reliquerunt, quibus ostenderent, quid de statu animarum praesentirent. Exordimur ab hac Lucerna, in qua janua inter duas cupressos exculpta est, quam protyrides hinc inde exornant, hiperthyrum fulcientes, in cujus tympano corona, Deorum manium honos, exsculpta est. Januis nihil frequentius in cinerariis Thuscorum, & Sarcophagis Romanorum, ut late ostendi in dissertatione de Architectura Etruscorum. Quapropter illas inter sepulchralia symbola reponen-

nendas non dubitamus, quarum si materialem significationem prosequimur, palam est significare ipsum sepulcrum, sive sepulchri aditum foribus semipatentibus ad defuncti ossa recipienda, quapropter coronis, teniis, encarpis, vittis, corollis, & feralibus ramis plerumque exornantur. Si vero illarum sensum allegoricum perscrutemur, per illas significabatur posterioris vitae, sive inferorum ingressus, quod non obscure significare voluerunt ipsum Mercurium insculpendo e foribus cum virga procedentem, quippe animas morte functas excipere credebatur, ut illas ad proprias sedes deduceret. Hanc eamdem allegoriam sequuti videntur Haebrei, quum in divinis Scripturis obvia sit ea dicendi formula: *Qui exaltas me de portis mortis*, ut in Psalmo IX. 15., & *appropinquaverunt usque ad portas mortis*, ut in Psalm. CVI. 18. *Et deducis ad portas mortis*, ut Sapientiae cap. XVI. 13. *Et vadam ad portas Inferi*, ut Isaiae XXXVIII. 10. *Et portae Inferi non praevalebunt*, ut Mathei XVI. 18., quam imitati sunt etiam primi Ecclesiae Patres. *A porta Inferi erue*, &c., ut minime mirandum sit etiam in Sarcophagis Christianorum hanc imaginem mortis fuisse expressam.

Geminae Cupressi hinc inde consitae frequentissimum sepulcrorum ornamentum sunt, ea ratione, ut verbis utar Festi, *quia hujus generis arbor excisa non renascitur sicuti ex mortuo nihil jam est sperandum, quam ob causam in tutelam ditis Patris esse putabatur*; quapropter in anaglypho sepulchrali, quod inter Tudertium antiquitates retulimus, Genii observantur, qui securibus geminas succidunt cupressos, mortui titulo in medio constituto. Hinc factum est, ut *Cupressi mortuorum domibus ponerentur*, ut addit idem Festus, cui accedit etiam auctoritas Servii in VI. Aeneid. vers. 1216.

X L V.

JANUA SEPULCHRALIS GENIIS ADSTANTIBUS.

PUtarunt veteres Genios hominibus a nativitate assignatos ne mortua quidem corpora deserere, consumptisque

que etiam corporibus, ſepulcra inhabitare, ut tradit Servius in III. Aeneid. verſ. 63., cui opinioni referenda ſunt obvia ubique ſepulcralium marmorum anaglypha Geniorum imaginibus adornata ita diſpoſitis, ut manifeſtiſſime oſtenderent quale vellent officium mortuis ſuis exhiberi; illi enim plerumque titulos ſuſtollunt, vel eorum imagines conchis inclufas ſuſtinent, ſerta ſuſpendunt, libamina effundunt, inſtruuntque Lucernas, ut ſaepe apud Gruterum, & Bellorium in Lucernis; excubant vero plerumque ad ſepulchri fores, manibuſque earum antas veluti ne dilabantur fulciunt, ut ſaepe etiam apud eumdem Gruterum. Quo miniſterio ſeſe cuſtodes loci profitentur, ne quis in illum ſacrilegas manus inferret. In hac vero Lucerna non antas, ſed hyperthyrum ſive faſtigium ſepulchri manu elevant, ut quodammodo aedificii conſumandi curam geſſiſſe videantur. Acroſtolia frontem ornant, de cujus parergi ratione multis actum eſt in diſertatione de Architectura Etruſcorum.

Genii exteriori manu faces deprimunt, quae formula praecipue recurrit in altero marmore Gruteriano addito lemmate SOMNO AETERNALI qua imagine nihil aptius excogitari poterat ad mortem adumbrandam; ſicut enim Prometheus luteis ſimulacris incenſa face vitam indiderat, ita eadem fax inverſa exitum hominis indicabat. Alludit praeterea caeremoniae, per quam abſoluto funere faces, quae in eo praeluxerant ad terram demiſſae extinguebantur, ex quo mortui ab hominum ſocietate penitus excedebant.

Scrupulum tamen ingerit haud facile dimovendum, quod hujuſmodi Genii ſemper numero plures inſculptos videamus, cum contra unicum bonum, alterum malum ſingulis hominibus attributos putarint, ut conſtat ex Cenſorino de die natali, Martiano Capella, & Servio pluribus in locis, praeſertim vero ad VI. Aeneid. verſ. 743., nec incredibile eſt utrumque & vultu, & officio in hiſce anaglyphis aequiparari conſueviſſe; ſed praeter ceteras mihi arridet conjectura, multiplicatos mortuis fuiſſe Genios, ex quo defunctorum animas inter Divos referebant, quibus pro dignitate plures adminiſtros aſſignabant. Hinc inolevit ut unius cujuſ-

que

que mortui DII MANES plurali numero invocarentur, quo nomine poteſtates quaſdam intellexerunt, per quas cum animabus longo intervallo a viventibus ſejunctis ope parentalium viri communicarent.

Larva cincinnis ornata magis obvia eſt in marmoribus ſepulcralibus, quam ut explicatione indigeat.

X L V I.

GENII URNAM CORONANTES.

HUjus Lucernae typus non modicam lucem ſumit a duabus aliis Lucernis Bellorianis Tab. XIII., & XIV. partis primae, in quibus gemini adoleſcentes eodem habitu ſuccincti, aram ſepulcralem adeunt, & in illam libamina e cornibus effundunt; cultuſque, quo exornantur, & ſtylus adeo in omnibus reſpondet, ut omnes ex eadem officina prodiiſſe reputemus. Quid interim ſibi velint adoleſcentuli illi, brevibus proſequamur. Bellorius illos inter domeſticos ſervulos reputat, nihilque fere ſub ea veſte recognoſcit, niſi vernulas pocillatores, qui eo habitu dominorum menſis vinum miſcebant; pocillatores, inquam, tales enim vulgus antiquariorum hucuſque appellavit aerea illa adoleſcentulorum ſigilla, ſuccincto habitu ornata, qui altera manu pateram, altera vero potorium cornu attollunt, cujuſmodi plurimos ex agro Tudertino ad me delatos aſſervo.

Cum vero diligentiſſima indagine imagunculas iſtas ad examen revocaverim peculiari diſertatione ad Jovannellium amicum optimum, & Tudertis Eccleſiae decus inſcripta, facile comperi has omnes eſſe Geniorum ſimulacra, quae vulgo per domos habebantur, atque colebantur. Quae cum ita ſint, conſtat adoleſcentulos, qui in tribus enunciatis Lucernis gemini per ſingulas juſta exſolvunt, ipſos eſſe Genios, quos exemplis ſupra memoratis, comprobavimus ita fuiſſe expreſſos, ut eo officio ceteros invitarent ad illorum manes ſacrificiis honorandos, quorum nomini addicti erant. Nec dubium aliquod ingerat, quod involucres hic exprimantur, nunquam enim Genios domeſticos alatos vidimus;

quapropter cum implumes fere per domos haberentur, non video cur tales etiam ſepulcra non haberent, praecipue cum ex Thuſcorum diſciplina Genii promiſcue, & aligeri, & ſine alis facti ſint, ut picturae vaſculorum, quas ſupra memoravimus luculenter evincunt.

Aliam quoque & meo judicio maximam difficultatem patitur Bellorii opinio, quod nempe ſepulcralia haec obſequia per ſervulorum miniſteria exhiberentur, cum enim mortuis, ſive poſtremus honos, ſive recurrentia quotannis parentalia, ſive ſtatis diebus omnibus communia iterarentur, non pincernae triclinares deputabantur, ſed paterfamilias id officium praeſumebat. Quod ipſe Aeneas propria manu parenti praeſtitit atque inde parentalia dicta ſunt, quod nati parentibus praeſtarent. Ovid. Faſt. II. 16.

Eſt honos & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Hunc morem Aeneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille Patris Genio ſolemnia dona ferebat;
Hinc Populi ritus edidicere novos.

Ubique vero, & apud Graecos, & Latinos Scriptores exempla exuberant, quibus lateoſtenditur juſta mortuis perſoluta manu illius, qui in quacunque domo, vel coetu digniſſimus haberetur, quae ne nimius fiam, libenter omitto.

Genii igitur in hac Lucerna expreſſi, potiſſimum honorem mortuis praeſtari ſolitum, coronas longas, ſeu ſerta urnae ſepulcrali ſuſpendunt. Sic Dido Sichaei tumulum recenti fronde ſemper ornabat. Virg. Aened. IV. verſ. 457.

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum,

Quod minime mirandum eſt, cum ex antiquiſſimis uſque temporibus id honoris mortuis attribui, referat Plinius lib. XXI. cap. III. *Et jam tunc coronae Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, & ſepulcrorum, & manium;* ita ut nihil frequentius ſit, quam videre ſerta iſta ex ſepulcris dependentia.

At error Bellorii inde natus, quod pincernarum veſtem omni-

omnino Servilem reputaverit, utpote ſignum miniſterii; at ſi bene rem perpendamus, tunica illa eadem eſt, qua Phryges antiquis temporibus utebantur, ut colligitur ab Athyos ſimulacris, item ex imaginibus Ganimedis, & Paridis, quae in his Lucernis, & alibi paſſim apparent. Ita quoque induitur in marmoribus Mithriacis, Heſperus, & Lucifer, qui facem attollunt, vel dimittunt, ſive diem noctemque ſignificent. Quod veſtis genus, cum Romanis ob patrum memoriam in veneratione eſſet, facile hinc coeptum eſt, ut Geniis tribueretur, & ad illorum inſtar, pincernis quoque, e quorum manibus Deorum dona cibum, potumque capiebant. Imo conſtat aliquam religionem huic miniſterio exhibitam a Romanis, qui ex omnibus illatis cibis ſicuti Laribus in foco pauxillum libabant, ita aliquid pincernis deguſtandum offerrent. Non ergo a famulis tranſiit ad Deos hoc veſtis genus, ſed a Diis, atque Heroibus, ad conviviorum miniſtros translata eſt.

Confirmat meam hanc de hiſce imaginibus ſententiam, marmor Gruterianum, in quo geminae adoleſcentulorum imagines hiſce noſtris ſimillimae LARES AUGUSTI nuncupantur, quo nomine aliquando Deos omnes cuſtodes indigitarunt.

X L V I I.

GENII MOERENTES, ET FACEM JUNGENTES.

INter praeclariora vetera monumenta, quae vir longe doctiſſimus, mihique in primis carus Paulus Paciaudius ex Clericis Regularibus collegerat, fictilis Lucerna erat, in qua Genius moerens obſervabatur, ſepulcrali urnae aſſiſtens, qui ſuper inverſam facem caput dolentis more reclinaverat. At pretium ſphragiſmatis augebat inſcriptio addita.

L V G E O

quam mihi dono oblatam poſt longae peregrinationis ſpatium, in loco ubi cuſtodienda aſſervabatur, Sublatam invenit, & publicae lucis honore fraudatam. Lugeo igitur

jure merito, & lugebo tam ſingulare monumentum, quo dolens fraudatus ſum, cum nihil tale unquam viſum fuerit, ut lychnis inſcriptiunculae ad typum alludentes inſcriberentur. Fortaſſe hae litterae non a figulo inciſae fuerant, hic enim ſtylus a communi illorum uſu longe aberat, ſed certe antiquam manum redolebat alterius, qui dolorem ſuum erga mortuum alterum teſtatus, lucernae alludens, animi dolorem graphio obſignaverat. In alia veteri Lucerna, cujus imago apud me aſſervatur inſcriptio legitur cum defuncti nomine circa Lucernae limbum ſtylo inciſam, qui quidem inſoliti luſus obſervatione digni ſunt, ne tempora confundentes litteras haſce ad primos artifices referamus.

Eundem fere typum, quem Lucerna infeliciter ſubrepta continebat, ſupplet haec noſtra, in qua Genii, inverſis facibus, leſſum faciunt. Nempe hoc erat unum ex officiis, quod mortuis perſolvebatur, quod nulli mores, ſed natura invexerat, ut illam jura contemperandam potius, quam excitandam duxerint, legibus conſtitutis, ne leſſus fierent, & luctus tempora coercerentur. Hic idem typus obvius eſt in marmoribus ſepulcralibus, quorum plurimos videre eſt apud Gruterum.

In ſequenti Lucernae fragmento typus minime vulgaris occurrit, in quo Genii ſepulcralem aram cuſtodientes, elatas faces ſupra illam vel invicem accendunt, vel accenſas excitant, ut lumen clarius micet. Haec formula longe abeſt a praecedenti, qua faces humi comprimebantur, quae caeremonia ſignificabat omnem in homine calorem vitae extinctum, ſive funeri jam impoſitum finem; at hic faces collucentes, & in altum ſublatae funus ipſum adhuc in ſuo fervore conſtans exprimunt, in quo faces ſuam partem habuerunt elegans eſt Virgilii auctoritas in XI. ubi Pallantis funus deſcribens ait, verſ. 43. & ſeq.

. . . . Et de more vetuſto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & late diſcriminat agros.

Tacitus quoque Annalium III. faces abundanter adhibitas in Auguſti funere refert: *Dies quo reliquiae Auguſti tumulo inferebantur, modo per ſilentium vaſtus, modo ploratibus inquies,*

ple-

plena Urbis itinera conlucentes per Campum Martis faces. Itaque cum faces funeris decus haberentur, Geniis custodibus sepulcrorum id obsequium attribuitur, non secus ac cetera omnia, quae fusius supra commemoravimus.

Vestis Geniorum eadem fere est, quam in praecedentibus Lucernis animadvertimus. Id habent amplius, qui in hoc fragmento conspiciuntur, ut non modo Phrygia tunicula, sed pileo ejusdem gentis adornentur, quo mirum in modum sententia nostra confirmatur, qua credimus domesticis Geniis veterum Trojanorum indumentum relictum ob memoriam Romanae originis.

Pulcherrimum vero ejusdem instituti exemplum publici juris fecit modo laudatus Paciaudius in illustrationibus ad monumenta Cuprensium III. quo in loco veteris ossuarii imaginem protulit, in quo hinc inde Genii Phrygio amictu ornati, & pileo ejusdem gentis contecti, facesque submittentes insculpti sunt, quo monumento mirifice confirmatur eorumdem adolescentulorum icones non ad vernulas domesticos referendos esse, sed Deos aliquos repraesentare eo habitu, qui Romanis religiosissimus esset, expressos.

Nec a vero longe aberraverimus, si conjiciamus vestem hanc Deo Mithrae solemnem, aliquando etiam Geniis attributam ad indicandum defunctorum praecipuam religionem, qui ejus Dei sacris essent initiati.

XLVIII.

ARA INTER CUPRESSOS.

ARa sepulcralis fere similis est ceteris, quae in Lucernis Bellorianis XI., & XIII. observatur gemina hinc inde cupressu, ut in iisdem Lucernis obumbrata; nihil enim gratius Diis manibus esse ferebatur eo tristi, ac ferali virore, adeo ut patentiores lucos ex illis circa sepulcra excitarent, qui vero hanc fortunam non attingerent, contenti habebantur si appositas cupressos ante aram, seu pyram constituerent. Virgil. Aeneid. VI. vers. 215., & seq.

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris

Inte-

Intexunt latera & ferales ante Cupressos,
Constituunt.

Et Aeneid. III.

. . . . stant manibus arae
Caeruleis maestae vittis, atraque Cupressu.

& Ovid. III. Trist. Eleg. XIII.

Funeris ara mihi ferali cincta Cupressu.

Supra aram Sympulum constitutum est, quo nihil magis obvium in cippis, & aris sepulcralibus, quae hinc sympulo, inde vero patera adornantur. Symbola ea erant sacrorum, quae in mortuorum honorem haberi solebant, ut non modo patentibus saxis insculperentur, sed ea ipsa, quibus in exequiis usi essent, una cum ossibus tumularent, ut quotidie observamus. Quippe quae Deorum Manium usui semel addicta erant, eis deinceps relinquerentur. De his plura observavimus in Acherontico, quo in loco simpulum Etruscum scitissime elaboratum, & huic praesenti consimile, Aenea tabula excudi curavimus.

X L I X.

ACCLAMATIO: VASA LUSTRALIA.

FOrma hujus Lucernae, longe a ceteris differt, nullam enim adhuc vidimus, quae in medio orbe quadratam lacunam habeat, nisi forte unam inter Bellorianas n. I. XVI., in qua sepulcralia quaedam vasa expressa sunt; neque dubito utramque ejusdem artificis esse potuisse, quia eamdem opificis mentem utraque testatur. Haec etiam pertinet ad funerum caeremoniam, continetque frequentem illam formulam affectus vivorum in mortuos, qua illis precabantur terram levem, quae frequentissime occurrit non modo in inscriptis marmoribus, verum etiam apud Poetas. Tibul. II. 4.

Et bene, discedens dicit, placideque quiescas
Terraque securae sit super ossa levis.

& Albinovanum in Carm.

Nunc ego quid possum, tellus levis ossa teneto.

Evupi-

Euripides quoque Menelaum inducit ita ajentem.

> . . . . *Si sunt Dii sapientes ;*
> *Virum fortem interfectum ab inimicis*
> *Circumtegant levi terra in sepulcro ;*
> *In ignavos vero solidum terrae acervum*
> *Injiciant.*

Ratio cur terram levem offibus precarentur, ea erat, ne nimio pondere offa praegravata omnem omnino formam desererent, & terrae commixta poftquam reliquiae effe desiisent, a Genio desererentur. Hinc inftitutum eft arcuatis, vel difpluviatis operculis inclufas urnis operiri, urnasque ipsas validiffimis fornicibus, seu criptis includi, ut aeterno si fieri poffet aevo durarent; praesertim ut annua justa effufis super sacris liquoribus sentirent.

Gaeminae hae Lucernae ex agro Pisaurensi superioribus annis effoffae, quanquam non admodum elegans artificium praeseferant, mihi tamen in primis carae sunt, non modo quia patriae, verum etiam quia exhibent nobis quasdam *Aquiminalium* formas, quibus antiquos usos effe puto in luftrationibus, quod facile conjici poteft, non modo quia in signum religionis coronata sunt, verum etiam, quia ex horum altero ramusculus pendet, quo aspergilli loco, utebantur, cum populus, & loca luftranda forent. Luftrationes hae multiplices, & variae fuerunt, inter quas tamen potiffima erat illa quam adhibebant in funeribus, de qua haec habemus apud Macrobium lib. III. Satur. cap. II. *Conftat Diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cum vero inferis litandum eft, satis actum videtur si aspersio sola contingit. De sacris igitur superorum ait Aeneas*

> . . . . *Donec me fluminae vivo*
> *Abluero.*

At Dido cum sacra Diis inferis inftituit, ait:

> *Annam, cara mihi nutrix, huc fifte sororem:*
> *Dic corpus properet fluviali spargere linpha.*

& alibi

> *Sparserat & latices fimulatos fontis averni.*

nec non cum Misenum sepulturae mandari refert idem

> . . . . *ter socios pura circumtulit unda*

Spar-

Spargens rore levi.

Sed & cum fingit primo Aeneam apud inferos ramum Proserpinae consecraturum, ita refert.

Occupat Aeneas adytum corpusque recenti
Spargit aqua.

Huc usque Macrobius. Ovidius vero Fastorum II. 2 solemnem lustrationem usurpatam refert, ut populus quodammodo annuis parentibus pollutus hac expiaretur.

Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris
Tunc cum ferales praeteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes.

Iis vero, qui inferorum contagione polluti essent, adeo necessaria reputabatur lustratio, ut Ovidius Metamorph. lib. IV. Junonem ab inferno reducem ab Iride lustratam referat.

Laeta redit Juno, quam coelum intrare parantem
Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.

Hujus autem lustralis aquae ritus maximis caeremoniis exercebatur. Primo enim aqua e sacris fontibus hausta sumebatur. Athenienses aquam adhibebant ex fonte Callirrhoes, qui sacratissimus apud ipsos habebatur, ut alio latice sponsos aspergi piaculare esset. Romani vero ex Juturnae fonte haustam eligebant. Quamnam vero in usum sacrorum Pisaurensium adhibitam fuisse credamus, Hannibal Oliverj nobilissime? Anne quae per Genecium rivulum lucum sacrum praeterlabebatur, in quo populi sacra omnia continebantur? An potius quae ex Sejano fonte, seu ex Reginae valle saluberrimis scaturiginibus profluunt? putemus ne tam laudatas aquas Numine, & religione caruisse? Non equidem, sed haec & plura obliteravit aetas non sine dolore, quod disertissimi illi antiqui cives nostri, qui aliena illustrarunt, parcissime nostra tetigerint; marinam vero aquam lustrationibus etiam fuisse usurpatam testatur Proclus de Sacrificiis. In hanc immergebant torrem ardentem ex ara desumptum, qua victima adolebatur. Euripid. Herc. Fur. vers. 928.

Cum autem torrem manu dextra laturus esset

Fi-

Filius Alcmenae, ut intingeret in aquam lustralem.

Deinde sal in aqua commiscebant Theocrit in Herculisco.

. . . . . puro lustrale domum sulphure
Primum, deinde sale mixta juxta ritum
Ramoque virenti coronata aspergite pura aqua.

Qui lustrabantur, ter in girum sese vertebant Ovid. VII. Metamorph.

Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit.

Qui vero alios sic perfundebat ad Orientem sese convertebat, ut ex Cratini in Chirone carminibus constat.

Age vero ad auroram primum omnium consiste,
Et cape manibus juncum magnum,
Funde haec, aquam e crateribus funde,

ut vero ter qui lustrabantur, in girum sese vertebant ita ter illos, qui lustraret aspergebat, ut constat ex Virgilio supralaudato. Dum autem haec faceret preces aliquas effundebat Ovid. Fast. lib. V.

Spargit, & ipse suos lauro rorante capillos
Incipit & solita fundere voce preces.

L.

VASA SACRIFICALIA.

POntificalia vasa plerumque appellantur simpulum, patera, & aspergile, quae in nummis passim observantur, sed haec communia erant, ut supra diximus, & mortuorum sacrificiis, a quibus Pontificis dignitas adeo abhorrebat, ut si funus, vel forte ablatum conspiceret contaminatus ille videretur. Aspersoria vero plerumque constabant ex ramusculo arboris ei Deo sacrae, ad quem sacrificia pertinerent. Virgilius supracitatus in funeribus olivam adhibitam dixit

Spargens rore levi, & ramo felicis olivae.

Ovidius vero laurum in id praesumptam dicit. Fabrettus vero in Trajani columna cap. VI. pag. 164. utramque ar-

borem promiscue usurpatam testatur, in cujus rei testimonium memini me Romae in Divi Pauli Basilica, antiquum Cinerarium observasse in usum aquae lustralis addictum, in quo vasa plura ad sacrificia mortuorum pertinentia insculpta erant. Inter haec vero arferial insculptum erat, unde lauri thallus prodibat, cujus indicio comperi in lustrationibus quoque funereis laurum admissam. At vero praesens aspergillum ex postico ovillo pede constat, in cujus capite caudae equinae villi alligati sunt.

L I.

VASA FUNEBRIA.

POlimixam hanc Lucernam mole, & eruditione conspicuam complectitur altera, quam Tabula XVI. part. II. publicavit Bellorius, nam commune argumentum continent, & fortasse ut idem ingenium produnt, ita unicam manum facile ostendunt. In utroque sphragismate funebrium vasorum apparatus ostentatur, nisi quod parcior est in Belloriano, amplior in nostro; illumque dixerim hujus compendium, hanc vero illius expositionem. Auget Lucernae nostrae pretium Deorum manium coena, cui Dis praesidet subjecto lemmate, quod rarissime in Lucernis fictilibus invenitur (nam in aeriis frequentius occurrit) in quo Lucernae dedicatio continetur DIIS.MANIBUS.SAC. Manes vero nihil aliud erant, quam ipsae Defunctorum animae, quibus omnibus, ex vetere instituto Deorum nomen adjungebant; quod quidem argumentum fusius in Acherontico pertractatum est cap. V. IX. & X. At praeter auctoritates, quas ibi attulimus subdere placet Ciceronis sententiam de legibus lib. II. Nec vero tam denicales, quae nece appellatae sunt, qua residunt mortui. Addo Plutarchum in Solone *Pium est Defunctos existimare Sanctos.* Nec posthabenda sunt Divi Augustini verba in lib. VIII. de Civitate Dei cap. XXVI. Omitto quod Varro dicit omnes ab his mortuos existimari Manes Deos, & probat per ea sacra, quae omnibus fere exhibentur mortuis,

ubi

ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum Divinitatis indicium, quod non ſoleant ludi niſi numinibus celebrari. Intererat vero haec differentia inter eos, qui publica auctoritate, & ex SC. Divi renunciati eſſent, ceteroſque qui comuni, ac vulgari religione; Priores enim Divinitatem proprio nomini conjunctam oſtentabant, ut Divus Auguſtus, Diva Fauſtina Ceteri vero hac dignitate non toti homini delata, ſed manibus tantum hoc eſt ſpiritui, potiebantur, proinde nec corpori, nec umbrae, nec imagini, ceteriſque illis multiplicibus animis, quas in homine eſſe ſomniarunt; ut ſaepe indicat Servius, tale decus veteres tribuebant, imo illas verſari circa ſepulcra, atque ad inferos deprimi reputabant; ſecus vero in iis, quos Senatus Divos eſſe juſſiſſet.

Sed jam vocat nos lectiſternium in manubrio conſignatum. Solebant aliquando veteres in ſumma Lucernae parte Deorum protomes pectore tenus exciſas apponere, non modo ut manubrii vicem gererent, ſed ut ſicuti ardens lycnus aram ſimulabat, ita hae icunculae ſimulacrum, cui ignis ſacer eſſet, exhiberent, & quodammodo unica Lucerna totum ſacrarium praeſtaret. Hujuſcemodi geminas prodit Bellorius ejuſdem II. partis tab. XVI., & XX. quibus Serapidis capitapraefixa ſunt. At multo plures in Muſeo noſtro aſſervamus. Pulcherrima vero in Bellorianis ea eſt, quam protulit tab. 24. cujus anſam nobilitat Serapidis, Iſidis, Solis, & Lunae lectiſternium, tripode menſa epulo referta in medio ſtante. Haec omnia, ſed ampliore ſtylo expreſſa, in hac noſtra conſpiciuntur. Primum locum Summanus occupat. Hinc tres Dii, inde totidem Deae diſcumbentes obſervantur, & lectiſternio perfruentes. Qua coeremonia nulla apud Ethnicos auguſtior; ubi enim in maximis periculis reſpublica verſaretur peſtilitate praeſertim graſſante ad lectiſternium veluti ad praeſentiſſimum auxilium recurſus habeatur, ut paſſim conſtat ex Livio. Hoc ſolemne ita brevibus deſcribit Servius in III. Georg. verſ. 533. *Lectulus in quo Deorum ſtatua reclinabatur.* Jacentes ergo in pulvinaribus Statuae Deorum collocabantur, quod etiam in circo fieri ſolebat. Iis opipare adparata coena tan-

tanquam comesturis apponebatur, quam Sanctissimus omnium Epulonum ordo vicaria fame devorabat. Ritum hunc clare describit Arnobius in VII. qui de Deorum lectulis haec prodidit. *Ut stratis possint mollioribus incumbere pulvinorum, tollitur, atque excitatur impressio.* Hinc non aliter imaginem lectisternii mente concipio, quam lectissimo pulvinari pro simulacrorum mole super triclinium collocato, atque in eo signis Deorum aereis sive ligneis, (nam marmorea hanc caeremoniam vix admittebant) supra sinistrum latus collocatis. Invenustum vero videbatur pictoribus, atque sculptoribus, qui haec lectisternia nobis objecerunt, exprimere rigidas illas Deorum species ita jacentes, quae prostratae magis, quam cubantes viderentur, quapropter ad gratiam captandam Deos sedentes; sesque in pulvinar molliter curvantes naturam imitati expresserunt, non ut erant simulacra, sed ut homines Diique fecissent.

Maxima tamen mihi suboritur difficultas ex impare Deorum numero, qui hic exprimuntur praesertim vero ex ejus, qui in medio praesidet, solitudine; Scimus enim id honoris nunquam Diis attributum quin etiam eorum uxoribus par honos concessus non sit. Hinc Valerius Maximus lib. II. cap. I. num. 2. *Foeminae cum viris cubantibus sedentes coenitabant; quae consuetudo ex hominum convictu ad Divina penetravit nam Jovis epulo ipse in lectum, Juno, & Minerva in sellas ad coenam invitantur.* Hinc ubicumque lectisternia nobis ab antiquis exhibita sunt, ut praesertim in Lucerna Belloriana, Dii, Deaeque compares, ut libentius assiderent, hominumque votis annuerent, conjunguntur. Hac disciplina nihil frequentius in Etruscorum picturis quas in praesentia illustramus. Abhorrebat itaque, ut Pluto Proserpinam tanto labore conquisitam in hac Lucerna desideraret. Accedit, quod viri, feminaeque hic seorsim locatae nullis symbolis adornentur. Perpendendum itaque eruditis propono, an scilicet pro lectisternio silicernium hic repraesentetur, funebris nempe coena, quam longevus pater familias cum utriusque sexus familia mortuis suis exhibeat, quam opipare adparari consuevisse deridet Tertullianus in Apologet., ut ab epulo Jovis minime differret. Quae si

ita

ita ſunt inſcriptio Deorum Manium non ad ſuperpoſitas imagines, ſed ad caeremoniam, quam homines praeſtant, referenda eſt.

Apparatum inferiorem per partes expendamus. Occupat Lucernae diſcum antiquae formae armarium columellis affabre fultum, atque abacis interne diſtinctum, in quibus tota ſuppellex ſepulcralis diſpoſita erat. Quae vero ad ſacrificia funerea ſpectant, inde excluſa areae ſegmenta occupant. Principem locum occupat Acerra per quam ingens illa thuris profuſio, quae in funeribus evenire ſolebat, indicatur, de qua Plinius lib. XII. cap. 18. *Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quae Diis intellexerat genita adhibens urendis Defunctis. Periti rerum aſſeverant non ferre tantum annuo faetu, quantum Nero princeps noviſſimo poppeae ſuae die concremaverit.* Virgilius quoque in Miſeni funere congeſta, dixit, *thurea dona.* In tanta vero thymiamatum perditione vix aliquem uſum habuiſſet Acerra, quae illorum vix libellam continebat. At fuere Deorum inferorum ſacra quaedam, in quibus parcius adolebantur, praeſertim cum Dea Muta, quae & mania piabatur, Ovid. Faſt. II. v. 574., & ſeq.

Ecce anus in mediis reſidens annoſa puellis
Sacra facit Tacitae, nec tamen ipſa tacet.
Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit
Qua brevis anguſtum mus ſibi fecit iter.

Pullus prope Acerram conſiſtens ad auguria pertinet, nam & haec in funeribus adhibebantur, ut colligitur ex Statio Thebaid. 6., qui augurem inducit in Archemori exequiis. Morem hunc confirmat Tertulliani auctoritas in Apologet. cap. 13. *Quid differt ab Haruſpice Polinctor, nam & Haruſpex mortuis apparet.*

Sympulus prope conſtitutus eſt. Ejus uſus olim in Deorum Sacris conſtiterat, inde tranſiit ad mortuos, quod etiam ex Tertulliani citato loco comprobatur. Quid differt ab epulo Jovis ſilicernium a ſympulo obba. Quam ſuperſtitionem evincunt praeterea ſympuli ubique in ſepulcris obvii.

Ex alio latere dolabra, & ſeceſpita, quibus in victimis ju-

jugulandis, ac dividendis utebantur, conſpiciuntur, quarum maximus, & antiquiſſimus uſus fuit in funeribus apud Graecos, quod probat Homeri locus Iliados XXIII. ubi Patrocli funus deſcribitur.

In autem pyra alta mortuum poſuerunt triſtes cor
Multas autem pingues oves, & camuras errabundas boves
Ante pyram excoriarunt, & mactaverunt, ex autem omnibus
Adipem accipiens operuit mortuum magnanimus Achilles
Ad pedes a Capite, circum autem excoriata corpora collocavit.

Idem mos adhibitus in Achillis funere Odyſſeae 24.

Octava & decima autem dedimus igni, multas autem in ipſo
Oves jugulavimus valde pingues, & nigras boves.

Quod etiam in ejuſmodi Archemori funere factum recitat Statius loco citato.

Semianimes alter pecudes, ſpirantiaque ignis.
Accipit armenta

nam animas ſummopere delectari ſanguine reputabant. Hinc idem Homerus Odyſſeae 11. Ulyſſem deſcribit, qui ad animas evocandas copioſum ſanguinem in ſcrobem effudit, quo facto umbrae turmatim ad illum avide epotandum confluxere. Haec autem ſacrificia ab humatione *humana* dicebantur. Feſtus: *Humanum ſacrificium dicebant, quod mortui cauſa fiebat.*

Succedit aſpergillum ex tibia ovilla compactum. Aſperſio quidem luſtralis aquae in funeribus ramuſculo olivae perficiebatur. Virgilius Aeneid. 6.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivae.

De qua tamen caeremonia in ſuperioribus notis aliqua nobis dicta ſunt. Aſpergillum vero quale hic conſpicitur, ad Pontificalia inſtrumenta pertinet, propterea que ad ſacra ſuperum. Credibile vero eſt in principum conſecratione, quos ipſis caelitibus aequiparare ſtudebant, hoc inſigne uſurpatum, praeſertim ab Auguſtalibus, ceteriſque collegiis, quae ad illorum memoriam honorandam inſtituta ſunt.

In ſummo armarii abaco quatuor gutti ſeu ampullae numerantur, quales paſſim in ſepulcris occurrunt mole, & forma

ma discrepantes. De his alibi nobis dicendum erit. Si Propolarum fabulis credimus, ad lacrimas condendas ponebantur, ego tamen nihil praeter lustrales aquas varii generis, & instituti continuisse constanter puto.

Succedit olla insigniter ansata, cujuscemodi ex sepulcro Tuderte, effossam in museo nostro asservamus. Senonum nostrorum sepulcra hoc vasorum genere abundant ex argilla nigra confecto, quanquam mole priori concedant. Horum usus non in cineribus excipiendis fuit, praesertim apud Senones, qui cadavera non cremabant, sed collatae in illis ferales epulae, vel tumulabantur, seu a viventibus voratae, ut adhibiti honoris memoria superesset patellae cum mortuo reponebantur. Cibis vero gaudere animas putabant. Ovid. Fast. II. v. 567.

Nunc animae tenues, & corpora functa sepulcris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.

mansit haec superstitio usque ad Divi Augustini tempora. Sic ille Sermon. 15. de Sanctis. *Miror cur apud quosdam infideles tam perniciosus error increverit, ut super tumulos Defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant.*

Abacus medius quatuor cineraria continet ejusdem formae, cujusmodi ex alabastro, vel alio pretioso marmore excavata plerumque in musaeis asservamus. Fictilia vero sicuti erant facilioris aparatus, ita copiosiora variaequae figurae in dies eruuntur, quae tamen mole sua vix pedem excedunt, quoto spatio reliquiae includuntur.

Multo proceriora apparent vasa, quae inferior abacus claudit. Hujuscemodi ubique terrarum effodiuntur, quae plerumque ad vina custodienda parabantur, & Cadi plerumque vocabantur. Ipsum mare benignitatem terrae nuper aemulari vidimus, altero ex iis a piscatoribus nuper attracto, quem maris aestus non modo illesum servaverat, sed ostreis undequaque obductum, ut aliquando nobis ostentui foret, arctissime munierat. Haec vasa ab hominum usu facillime transierunt ad obsequia mortuorum in sepulcris locata, in quibus non unius cineres, sed plurium simul commixti clauderentur, atque *Urnae communes* appellabantur,

tur, ducta aliquando in tantam amplitudinem argilla, ut solium unicum toti familiae faceret satis, quod multiplici exemplo in prolegomenis, atque in notis ad marmora Tudertia demonstravimus; quod ni fallor in causa fuit, cur Cadi hujuscemodi cum reliqua funebri suppellectile copulati videantur. Si vero omnino placeat inter Oenophoros computare, ab hac serie minime abhorrebunt, cum probe sciamus maximum vini usum in parentalibus extitisse. Ilyad. 23.

. . . . . . tota nocte velox Achilles
Aureo ex cratere habens poculum rotundum
Vinum exhauriens humum fudit: madefacit autem terram
Animam vocans Patrocli infelicis.

Praeterea rogum extinguebant vino. Homer. loco cit.

Primum quidem rogum extinguite, nigro vino;
Omnem quantum tenet.

Quia vero sub diversa forma haec vasa nobis in hac Lucerna exhibentur, suspicamur non omnia ad vinum pertinuisse, sed ad lac, oleum, & mel, quae pari profusione in funeribus adhibebantur, intantum ut lege XII. Tabularum cautum sit *uti servilis unctura, omnisque circumpotatio tolleretur*. Rursusque. *Ne myrrata potio mortuo inderetur.*

Principem locum armarii occupat ingens crater, & praefericulum Haec ornamenta ubique occurrunt in cippis sepulcralibus, & quodammodo indicio sunt, per quod funebria marmora a ceteris discernamus. Per ea quippe indicatur potissima funerum caeremonia, vini effusio. At in nostro hoc sphragismate patera tantae molis est ut cum ceteris vasculis comparata lancem potius exprimat, quam pateram. Lancibus vero utebantur non ad vina effundenda, sed ad exta victimarum excipienda atque ad illarum partes ubi igne excoctae forent dividendas inque Silicernio apponendas, quod utique sumptuosiorum funerum suspicionem nobis ingerit.

Ne quid deesset ad funebrem apparatum concinnandum dexteram urnarii partem occupat Ara sepulcralis, quam corona cupressina exornat. De hac multa jam dicta sunt in nostra dissertatione de Ara sepulcrali. Micat superne

fax

fax ardens, qua rogus incendi solebat. Hanc vero qui pyrae admoveret, veluti officium detestatus, alio vultum convertebat. Virgil. loco citato.

Subiectam more parentum
Aversi tenuere facem.

Alterum latus obtinet tripus lebete superne instructus, in quem congestis carbonibus thura, & adipes victimarum, quae igne absumi moris erat, adolebantur. Nam arae marmoreae nunquam tale officium praestiterunt, cum plerumque ita superne displuviatae sint, aut fastigiatae, atque acroteriis instructae, ut in illis carbones minime subsistere potuissent; ideo nullam adhuc ex hisce aris marmoreis superne ustulatam vidimus, atque illarum usus in liquoribus excipiendis unus erat. Lucian. de Luctu: *Saxum quod sepulcro imponitur coronis ornatum quid valet? quid merum funditis? putatis illud ad nos distillaturum, & ad orcum usque perventurum.* Longe ergo distabant arae sepulcrales a focis, quorum plurimos aereos, sive tripodes, sive monopedes inter sepulcrorum rudera erui observavimus, qui candelabra nostra aptissime imitantur.

Infimum disci locum occupant bovis, ovis, & suis cervices, haud ambiguum symbolum tribus hisce victimarum generibus sacrificia mortuorum constitisse. Haec solitaurilia vocantur a Festo, & suovetaurilia a Catone de R. R. Hisce sacris, quod Deorum potissimas caeremonias complecterentur, exercituum lustratio, & agrorum fieri solebat, ut ex Livio colligitur lib. I. & VIII. Adhibita tamen fuerint haec sacra nec ne in funeribus, nondum observavi. Quod unum liquido constat in hisce lustrationibus maxima Deorum Manium ratio habita est, ut apparet ex ejusdem sacrificii formula, quam legimus apud Catonem loco citato cap. 150. *Agrum lustrare sic oportet imperans suovetaurilia circumagi, cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando Tibi Mani ut illa suovetaurilia fundum agrum, terramque meam quota ex parte sive circumagi, sive circumferenda censeas, uti cures lustrare.* Haec tamen si a funebri pompa aliena reputemus, non ita profecto erunt taurorum, ovium, & suum mactationes, quae omnium scriptorum testimonium in funeribus frequentabantur.

L I I.

GENII ARAM IGNITAM CUSTODIENTES.

ALterum quoque funebre officium exhibere videntur mortuis Genii in hac Lucerna expressi, nam hinc & inde prope aram stantes, unde vehemens flamma assurgit, aliquid in illam manibus conjicere videntur. Pertinet haec caeremonia ad ea sacra feralia, quae XI. Kalendas Martias celebrari solebant, de quibus haec Ovidius toties citatus Fast. II. vers. 535. & seq.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.

& paulo post, vers. 544.

Adde preces positis & sua verba focis.

Ex quibus locis apparet ignem in honorem mortuorum excitatum, non quo mortuus cremaretur, sed qui ad honorem illorum, quos terra operiebat, pertineret, quod facile exprimit arula in hac Lucerna delineata.

Non inficior tamen sub hujus arae forma pyram repraesentari, quae incenso igne alte micat. Solebant enim hujusmodi pyras, seu rogos externe ita expolire, atque velare, ut aram adamussim exprimerent, frustra exclamante XII. Tabularum lege, *ne rogus ascia poliretur.* Exempla hujus consuetudinis plura nobis occurrunt in veterum monumentis, potissime vero in columella Alphania, de qua fuse in Acherontico sermonem habuimus, cujus universus funeris apparatus in hujuscemodi pyram desinit, quae superne ex dedolatis lignis constat, inferne vero aram huic nostrae similem repraesentat. Nummi quoque Caesarei eamdem aram nobis referunt superne ardentem, addita epigraphe: *Consecratio.* Unde inolevit, ut passim rogus ara diceretur. Virgil. Aeneid. VI. vers. 177.

. . . . . . aramque sepulcri
Congerere arboribus caeloque educere certant.

ubi Servius *Pyram dicit, quae in modum arae construi lignis solebat.*

L I I I.

GENIUS CAPRUM MARINUM FRENANS.

SOlebant veteres processum animarum ad beatas Insulas multis quidem atque variis modis exprimere, sed frequenter per Genios monstra quaedam marina frenantes, quae ex sacrorum animalium formis leonibus, capris, tigridibus, atque similibus in piscem desinentibus curiose formabantur, in quo Diis illis, sub quorum tutela ea animalia censebantur, honorem deferre reputabant, seseque sub eorum clientela esse profitebantur; quam disciplinam diligenter explicavimus peculiari libello de Transvectione animarum inter notas ad gemmas astriferas. Hunc vero morem Romanos ab Etruscis excepisse conjecit doctissimus Bonarotius in disertatione ad Dempsterum §. 26., in praefatione ad nummos Carpineos pag. xxv., & ad nummum primum Antonini Pii.

Monstrum, cui Genius inequitat in hac tabella, caprum superne imitatur, quanquam ad majorem admirationem huic portento conciliandam artifex hispidos crines, atque hirsutum fronti suggestum addiderit ut monstri impetum tranantis oceanum, officiumque praeter mortalem conditionem animarum deducendarum ad loca vivis inconcessa significaret, unde plus debito horroris, atque formidinis illi attribuit.

L I V.

ARA SEPULCRALIS.

HAec Lucerna superne atro colore tincta sepulcralem aram exhibet undequaque architecturae ornamentis excultam, & encarpo adornatam. Summa arae pars nucem pineam repraesentat, nec sine significatione, nec sine exemplo; nam & moles Adriani in summo fastigio aliam similem inusitatae magnitudinis habuit ex aere deaurato, quae dudum in Basilicae Vaticanae quadriporticu constitit,

 nunc

nunc autem in ejuſdem hortis omnium admirationi eſt. Aſſervatur adhuc Foroſempronii in Principum noſtrorum hortis ingens nux pinea marmorea antiqui operis intus concava ad cineres recondendos accomodata, ut eo ferali ſymbolo alluderetur ad ingentem illum Cybelis luctum, quem pro Atyde extincto ſub nuce pinea habuiſſe dicitur. Conjectura deſumpta eſt ex Servio Aeneid. IX. verſ. 116. qui Atydos mortem referens, *cujus*, inquit, *ut perpetua maneret memoria Mater Magna inſtituit, ut quotannis in ſacris ſuis plangeretur, pinumque arborem, ſub qua jacuerat, tutelae ſuae adſcripſit.* Cujus quidem initia non ſecus ac Orgia, Mytriaca, Eleuſinia, & ſi qua alia hujuſmodi, ſummopere ad criminum expiationem pertinere credebantur, praetereaque ad proſperum animarum poſt mortem ſtatum; unde inolevit, ut mortuorum urnae eorundem myſteriorum inſignibus adornarentur.

L V.

VICTORIAE CLYPEUM ATTOLENTES.

INter praecipuos honores, qui ſummis viris, & de republica optime meritis attribui ſolebant, clypei praecipue cenſebantur, in quibus illorum imago expreſſa eſſet; qui ubi publico aliquo in loco ſuffixi eſſent, id ſummopere nobilitati tribuebatur. Hujus honoris originem uſque ab anno Urbis 259. repetit Plinius lib. XXXV. cap. 3. teſtatus Ap. Claudium primum omnium majores ſuos in clypeis expreſſos in aede Bellonae poſuiſſe. Inolevit poſtea ut etiam in funeribus id honoris tribueretur defunctis ita, ut miſerabile cenſeretur ſine illis funus duci. Cic. pro Mil. *Cadaver P. Clodii ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione;* cui inſtituto alludunt in hac Lucerna Victoriae, quae ſuper aram cupreſſibus obumbratam clypeum ſuſtollunt, & quodammodo figunt perpetuo manſurum, ut nefas videretur revelli, quem numina rerum Romanarum arbitra manu ſua dedicaſſent. Id officii Geniis tribuendum videbatur, qui in privatis funeribus omnia fere vivorum obſequia

quia mortuis praestare figurantur. In hoc vero lychneolo facile alluditur ad exequias alicujus Imperatoris, cui Geniorum loco Victoriae famulantur, quod minime alienum erat a Romanis moribus, quum in mortuali pompa Augusti fuerint qui censerent *funus triumphali porta ducendum praecedente Victoria, quae est in curia.* Sveton. in ejus vita cap. 100.

Sed eo magis inducor, ut credam Lucernam hanc ex illis esse, quibus Caesarum funus ornabatur, ex quo scimus inter ceteros honores ipsis mortuis adhibitos, clypeos cum eorum imaginibus extitisse. Itaque mortuo Germanico statutum est, referente Tacito Annal. II. *Ut nomen ejus Saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur, ludos Circenses, eburna effigies praeiret . . . . statuarum, locorumque in queis coleretur, haud facile quis numerum iniret; cum censeretur clypeus auro, & magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, &c.* Sic Pius *clypeum Hadriano magnificentissimum posuit*, ut testatur Capitolinus in Pio cap. 5., & Caligulae a Senatu *inter reliquos honores decretus est clypeus aureus*, Svetonio auctore in ejus vita cap. 16. Parem honorem attributum Claudio refert Pollio in ejus vita cap. 3. *Illi clypeus aureus Senatus totius judicio in Romana Curia collocatus est, ut etiam nunc videtur. Expressa thorace vultus ejus imago.*

Quin etiam viventibus principibus hoc honore adulatum fuisse testantur nummi Tiberii, in quo clypei repraesentantur cum illius, ut putant, imagine, addita inscriptione MODERATIONI, CLEMENTIAE. Haec Lucerna ejusdem artificis est, ac alia quam retulit Bellorius in ejus collectanea Tab. XI. nam ara ibi expressa ipsissima est, ac in praesenti Lucerna, quanquam pictor, qui illam delineavit praeter antiqui artificis mentem, illam pro ara in sepulcrum deformaverit, quod manifeste evincitur, ipso prototypo inspecto, qui apud me asservatur.

L V I.

CURULE CERTAMEN.

Solemne fuit in Heroum funeribus poſtquam cineres terrae mandati fuerant, curule certamen circa ſepulcra inſtituere, cujus inſtituti exemplum habemus apud Homerum loco toties citato Iliad. XXIII. ubi Patrocli funere exacto quadrigarum decurſio circa ſepulcrum ab Achille inſtituta eſt. Simile quoque certamen in Archemori honorem commiſſum multis deſcribit Statius. Auriga, qui currum agit Heroum more loricam induit, quum contra Romani turriculam multiplici faſciarum ordine circa pectus revinctam induerent. Flagellum vero attollit, quales loco ſupra memorato agitatores deſcribit Homerus.

Hi autem ſimul omnes ſupra equos flagella elevaverunt
Percuſſeruntque flagellis, & vociferati ſunt verbis
Ruenter. Hi autem cito ibant per campum.

Surgit in medio moles ſepulcralis, quae ex quadrata baſi in metae formam aſſurgit, & per geminas feneſtras lumen in cellam admittit, in quo figulus Romanorum inſtitutum imitatus eſt, qui plerumque in ſepulcris ſupra hypogaea conditoria, in quibus procul ab hominum commercio cineres recondebant, ſuperiorem, & lumini pervium cubiculum conſtituerunt, in quo ſacra Manibus familiae, & parentalia frequentabant. In his arae Diis Manibus ſacrae ſtatuebantur, quae aliquando ita perforatae erant, ut liquores ſupernae infuſos in imam uſque partem demitterent, de quibus multa videre eſt apud Fabrettum inſcriptionum cap. II. Gruterum, alioſque monumentorum collectores. Ex hac vero ara per aptata canalia in inferius cubiculum liquores defluebant, cujus imagines refert Bartolus de ſepulcris, & in Appendice ad veteres picturas tab. V. Multa quoque circa id inſtitutum praefati ſumus in diſſertatione de architectura Etruſcorum, ubi inter cetera MAUSOLEUM Iguvinorum deſcribentes, judicium de illo noſtrum protulimus, nempe ſacellum fuiſſe Diis Manibus conſecratum, ex quo liquores in inferiora conditoria dilaberentur.

LVII.

L V I I.

APOTHEOSIS.

PErtinet facile & haec Lucerna ad principis alicujus consecrationem, nam praeterquamquod ipsae Victoriae clypeum attollunt, Roma sedens conspicitur, quae elata manu aliquem inter Divos videtur asserere, quod officium ad ipsum senatum pertinebat, ut demonstravimus in Acherontico. Auget vero suspicionem hanc meam columnae Antonianae basis anaglypha; in qua Romae typus huic nostro simillimus conspicitur, quae pari gesticulatione principes a Genio elatos inter Divos computat. Ex quo vero ut in prolegomenis praefati sumus, ingens Lucernarum copia in principum funeribus adhibebatur, minime mirandum est si Caesarum apotheoses tam obviae sint in Lucernis; nulla enim profecto extitit earum caeremoniarum, in qua innumeri ex hisce lychnis ei pompae alludentibus non succenderentur.

L V I I I.

IMPERATORIS CAPUT.

EX quo patefecimus majorem Lucernarum partem in usum publicae laetitiae fuisse confectas, cum unica immensae Urbis illuminatio numerum sepulcralium Lucernarum, quas integrum saeculum efformasset, facile superaret, non est cur miremur, tam frequenter Imperatorum capita in illis expressa reperiri, non enim abhorrebat reverentia sacri culminis in fictilibus exprimi operibus, in quibus Dii signarentur. Lucerna, quam hic producimus, diademate redimitum Imperatorem refert promissiore barba, quo fere cultu Lucium Verum in nummis cognoscimus, quae Lucerna adeo obvia est, ut quinque fere ex eodem typo, sed non ex una eademque officina productae brevi temporis spatio Roma ad me missae sint. Puto autem ad festum aliquod in honorem illius celebratum pertinuisse, & fortasse

ad

ad illius consecrationem; quin turbet, imaginem ejus minime velatam apparere; vix enim inveniemus in superioris aevi nummis imagines Imperatorum consecratorum velo obvolutas, quod Augustis foeminis pene peculiare fuisse videtur. Mortuorum capita velo involvere ad ostentationem divinitatis pertinebat, nam ita Coeli participes, & quodammodo illius ambitu conclusos, & obvelatos significabant; voluere praeterea, ut illo sacrificantium habitu exprimerentur, quae forma omnium putabatur sanctior, atque augustior.

Inferioris Lucernae aquila, nullibi aptius aptari poterat, quam imagini Caesaris; sive enim ipsum inter vivos agentem, sive inter Deos expressum velimus, aquilam sibi vindicat, modo militiae insigne, & propterea familiarissimum Imperatori, modo vero consecrationis. Habuit & alteram significationem aquila inter hieroglyphica Romanorum; denotabat enim ipsum Jovem, quemadmodum cetera animalia consecrata Deorum suorum symbola habebantur.

L I X.

AQUILA ARAE INSIDENS.

HAud multum laborandum nobis est in explicanda hac Lucerna, cum eumdem fere typum in plurimis Imperatorum nummis inveniamus, addita Epigraphe CONSECRATIO, per quam intelligimus aram sepulcralem, seu verius pyram, & rogum hic nobis exprimi, cui insidet aquila ministra Jovis, quae, ubi ignis rogo subjiceretur, solutis vinculis volare permittebatur, defuncti Caesaris animam, ut vulgo jactabatur, in coelum attollens, uti auctoritate Herodiani lib. IV. cap. III., & Dionis lib. LVI., & aliorum passim constat.

Haec autem pyra, qualem etiam nobis referunt nummi Claudii Gothici, Cari, & alii illius temporis, frontem praesefert, quam totam crux excisa occupat, quae magnam disputandi occasionem praebuit viro alioquin docto, sed pio magis, quam in hisce antiquitatibus versato, qui ita Dei

O.M.

O. M. nutu ordinatum fuisse credit, ut Roma jam praesentiret crucem sibi ad consecrationem expetendam, donec tempus afforet, quo signum illud, quod *ignorantes coluerant*, ut Athenienses ignotum Deum, venerari gloriarentur; quo etiam argumento usus est Tertullianus, qui Ethnicis objecit ipsos inter signa militaria, quae transversam hastam haberent, inscios atque invitos, vellent, nollent, adorare crucem.

Sed haec ascetis relinquentes, constanter dicimus crucem illam nihil ibi importare, nisi januae imaginem, quam adeo ingentem in fronte rogi depingebant [pictos enim extrinsecus fuisse rogos, tradit Plinius lib. xxxv. cap. vii. *Quoniam & pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi*, quod etiam testatur Herodianus lib. iv.] ut totam occuparet, & nihil fere ipse rogus exprimeret, nisi ingens ostium, per quod aeternitatis initium, & exordium Divinitatis significabant, de quo symbolo plura suo loco praefati sumus; quapropter ut valvarum imagines exprimerent, quae illarum tympanum separarent, crucem ruditer insculpserunt. Constat id manifestissime ex nummo minoris Valeriani, qui aram hanc *consecrationis* nobis exhibet, in qua diligentiori stylo janua delineata est; ex quibus colligimus jam ab usu recessisse curiosas illas pyrarum strues in tot gradus sensim decrescentes efformatas, quas in Antoninorum nummis observamus, & hanc simpliciorem constanter receptam, ut quaedam aequalitas servaretur, vel quia religiosior haec forma in usu esset, utpote quae Divo Augusto ita extructa fuerit, sicuti in illius nummis videmus, addita inscriptione PROVIDENTIA, vel quod senatus jussu, & quodammodo providentia novus ille Romanarum rerum custos coelo additus sit, vel quod ita designaretur numine, & providentia Augusti, inde rempublicam gubernari.

Non longe abeunt nummi Maximiani, Constantii, & Romuli, sed post illorum mortem cusi, in quibus rotunda moles semipatentibus foribus repraesentatur, cujus summo fastigio aquila insidet, cum inscriptione AETERNAE MEMORIAE. Sunt qui velint sepulcrum seu templum illis excitatum sub ea specie; sed anne omnibus sub eo-

dem aspectu? neque assentior iis, qui Pantheon credunt ibi repraesentari, quod in omnium Deorum aede memoria illorum consecrata fuerit; cum in summo ejus tholo aquila consistere non potuerit. Credendum potius est hanc formam rogi ea aetate usurpatam, atque in omnium funeribus renovatam, nam & aquila, & porta, & inscriptio consecrationi conveniunt.

L X.

ARA SEPULCRALIS INTER CUPRESSOS AQUILA DESUPER INSISTENTE.

EN alterum consecrationis symbolum priori fere respondens. Aram sepulcralem serta exornant. Talem Dido sibi constituit apud Virg. Aeneid. 4. vers. 504., & seq.

At Regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tedis atque illice secta,
Intenditque locum sertis, & fronde coronat
Funerea.

Ternae hinc inde cupressus assurgunt, quibus clare demonstratur usus, quo nemora conseri solebant circa principum virorum sepulcra, ut quodammodo lucos Deorum sacros imitarentur. Tale fuit Augusti mausoleum in Campo Martio. Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis sexto suo consulatu extruxerat, circumjectasque silvas, & ambulationes, & in usum populi tunc jam publicarat.

L X I.

PAVO PYRAE INSISTENS.

UT in Caesarum funeribus aquila adhibebatur, quae e rogo avolans, illorum animas in coelum deferre reputabatur, ita in Augustarum crematione huic officio pavones substituebantur ob Junonis memoriam, cui sacri erant. Hinc observamus in utriusque Faustinae nummis illarum ima-

imagines pavonum dorſo inſidentes, deferri in coelum cum inſcriptione CONSECRATIO; imo quandoque ſolus pavo inſculpebatur cum eadem epigraphe, quippe pro illius ſymbolo habebatur. Inde Junonem pavones currui junxiſſe ſcribit Ovid. lib. 11. Metamorph.

Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus aethera pictis.

Id vero animal tributum poſtea Auguſtis feminis, quae per ſummam aſſentationem Junones aliquando dictae ſunt, ut apud Senecam in Octavia Act. 1. Scena 111.

tu quoque terris
Altera Juno ſoror Auguſti.

Eſt & in Gaza Medicea Liviae nummus cum inſcriptione ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ; nec deeſt hic titulus in marmoribus, ut videre eſt apud Gorium in praefat. Columbar. Liviae Auguſtae. Sed popularis inſolentia & ſculptorum libido eo uſque pervenit, ut id indicium conſecrationis, quod nonniſi graviſſimo ſenatus conſilio principum uxoribus tribuebatur, promiſcue in omni vulgari loculo, in quo feminae conderentur, efformarent, ut paſſim oſtendunt cineraria, in quibus pavones inſculpti ſunt, quod tamen aliqua ratione non caruit ob illam communem, & fere omnibus mortuis attributam Divinitatem, non ex Senatus conſulto, ſed ex auctoritate privata, quod etiam in cauſa fuit, cur aquilae viris tribuerentur.

Sed pavo, qui expanſis alis pyrae inſidet in hac Lucerna, aliquid praeter popularem conſecrationem indicat, cum manifeſte deſignet, illam ejus volucris e pyra emiſſionem, quae nonniſi in ſolemni conſecratione uſurpabatur. Ipſe quoque lunae ſilentis imago, quae hinc inde in Lucerna expreſſa eſt, ad hunc ritum alludit, cum in earumdem Auguſtarum nummis idem typus ſignatus ſit cum inſcriptione AETERNITAS, & circa 111. Chriſti ſaeculum inolevit, ut etiam viventes Auguſtae veluti jam tunc coeſpilo dignae in luna exprimerentur; quae omnia eo conſpirant, ut credamus haſce Lucernas in illarum funeribus efformatas ornamentis hiſce aptis excultas fuiſſe, ut etiam poſt longa ſaeculorum ſpatia hujus caeremoniae teſtes eſſent.

Sed non inficior aliquando aquilas etiam feminis ad id officium fuisse attributas; quapropter in basi columnae Antonini, ubi Orbis Genius insculptus est, qui expansis alis Antonini, & Faustinae imagines in coelum defert, ne suus aquilis honor deesset, geminae hinc inde expressae observantur; quod ne fortuito factum videretur eruditissimus Vignolius, in illius illustratione geminos argenteos nummos adducit alterum cum imagine Divi Antonini, postremum cum illa Divae Faustinae, in quarum aversa parte aquila repraesentatur additis in unaquaque literis *Consecratio*, quod etiam in aliarum Augustarum nummis observari indicavit. Utrum vero etiam pavo Imperatoribus id obsequium praestiterit, quasi utriusque avis officium promiscuum fuerit, suspicari potius, quam affirmare nobis permittunt ingentes illi Pavones, quos Hadrianus in summo sepulcri sui fastigio collocaverat, quorum aliqui in quadriporticu Vaticano diu constiterunt.

L X I I.

MATRONAE PROTOMES.

TAxat Juvenalis satyra VI. illum ornandi capitis morem, quo haec Matrona insignitur.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput, Andromachen a fronte videbis,

& revera reticulato opere assurgens speciem illam nobis ingerit *turriti capitis*, de quo saepe conqueritur Tertullianus, & praecipue de Cultu feem. cap. 7. *Affigitis nescio quas deformitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Quamquam vero superiorum temporum scriptores eum luxum frequenter reprehendant, tamen in ejus temporis monumentis difficile admodum videre est hunc capitis ornatum, immo in marmoribus omnino incognitum. Memini tamen aliquando quid simile observasse in veteri pictura, ni valde fallor, Christiana, ex quo suspicor luxum hunc ad inclinantis aevi tempora fore referendum. Cum prae-

praecipue ufus privatarum imaginum in Lucernis non nifi fero irrepferit, at vix in aliis, praeterquam in caemeterialibus occurrat, quando ablegatis veterum fabulis, & Deorum fymbolis, quibus hanc fupellectilem adornabant, ad fimpliciora haec parerga, & religioni innocua artificum ftylus fe convertit. At de his in ultima operis parte fermo habendus eft.

LXIII. LXIV. & LXV.

CAPUT SERAPIDIS.

ABfoluta jam funebri fupellectile ipfum Orcum, feu Ditem, aut Plutonem fub imagine Serapidis expreffum adeamus. Id numen peregrinum Ptolemaeus Rex, qui primus poft Alexandrum Ægyptum obtinuit ex Sinope Ponti Urbe Alexandriam accivit, ut memorat Tacitus hiftoriar. lib. IV. Hinc ad Graecos primum migravit, ut auctor eft Paufanias in Atticis, nec fero ad Romanos, quanquam ejus templum intra moenia admiffum non fuerit, ut conftat ex Dione lib. XL., quo fcortillum illud apud Catull. Epigr. lectica vectari volebat. Immo cum privata auctoritate fana illa intra pomerium excitata fuiffent, fenatus deftrui ea juffit, vix enim Serapidem inter numina numerabat, ut refert idem Dio. At ifta Romanorum averfio non diu duravit; Publius enim Victor Serapaeum in circo Flaminio conftitiffe dicit, aliaque ejus fana diverfis Urbis in locis erecta fuiffe memorant antiquariae rei periti, quos inter Borrichius in antiquae Urbis facie cap. VIII. §. 4. & Nardinus Romae veteris lib. IV. cap. VI.

Horum in Urbem templorum introductio vulgo Caracallae adfcribitur, eo quia de eo referat Spartianus. *Quod facra Ifidis Romam deportavit, & templa ubique magnifice eidem Deo fecit.* Cum enim Serapidis, & Ifidis religio fere copularetur, ut infra obfervabimus, hinc arguunt tunc utrique numini poftliminium conceffum, ficuti eodem edicto fublata fuerant, ut manifefte demonftrat idem Dio loco allegato.

Quae

Quae poteſtas Serapidi tribueretur, & cui Deorum Romanorum reſponderet apud ſcriptores liquido non conſtat; mitto eorum fabellam, qui ipſum eundem, ac Joſephum, Pharaonis miniſtrum, fuiſſe obtrudunt ob Ægyptum ejus prudentia a fame ſervatam. Ii nempe ſunt, qui magnum ingenii ſpecimen ſe praebuiſſe crediderunt, ſi univerſam Idolorum familiam ab Haebreis patribus, praecipue vero a Moiſe derivent, quod quam falſum ſit, facile convincitur auctoritate antiquiſſimorum ſcriptorum, qui idolorum cultum ante Moiſen extitiſſe probant, ſpeciatim vero ex ipſa S. Geneſi, imo ex primo Decalogi praecepto, quo Deos alienos habere vetitum eſt, ſed de his fuſius nobis tractandum erit in libris *Indigitamentorum*. Duo tamen facile hanc de Serapide ſententiam explodunt, averſio nempe infenſiſſima, quam in totam Joſephi familiam, ejuſque deſcendentes perpetuo Ægyptii habuerunt, ut penitus inveriſimile ſit unum ex his tam impenſe coluiſſe. Deinde vero quod ſcimus ex Tacito loco cit. id numen e Ponto in Ægyptum tranſvectum. Quanquam Lactantius de falſa religione lib. 1. ipſum fuiſſe Oſirim, *quem Serapin, & Serapiden vulgus appellat*, ſolent enim mortuis conſecratis nomina immutari, cui accedit multo antiquior ejuſdem Taciti ſententia, haec de illo proferentis *Deum ipſum multi Aeſculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Oſirim antiquiſſimum illis gentibus numen, plerique Jovem, ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem Patrem, inſignibuſque in ipſo manifeſte, aut per ambages conjectant*. In hac ſententia fuit etiam Plutarchus, qui in lib. de Iſide, & Oſiride ait: *Thimotheus interpres, & Maneto Sebenita a cerbero, & dracone conjecturis ductis collegerunt Plutonis eſſe ſymulacrum, & Ptolemaeo perſuaſerant non eſſe alicujus Dei, quam Serapidis. Non enim iſtinc hoc nomen gerens venerat; ſed allatum Alexandriam Serapidis nomen, quo Ægyptii Plutonem afficiunt, invenit*. Aſt de his plura inferius.

Peculiare hujus numinis inſigne fuit modius capiti impoſitus, de cujus origine, & uſu multa a nobis dicta ſunt lib. ſuperiore ad Lucernam XLIX. ſingulari vero ratione duo numina apud Romanos hoc inſigne ſibi vindicabant Genius, & Se-

& Serapis, ille juvenili, hic ſenili vultu plerumque expreſſus, qualis in his Lucernis obſervatur. Conſtat hoc praecipue ex Macrobio Satur. lib. I. cap. XX. *Calathum capiti ejus infigunt*, & paulo poſt *cujus vertex inſignitus calatho, & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtendunt, quia in eum omnia redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur.*

Idem caput Serapidis modio conſpicuum radiis praeterea ornatum occurrit tab. LXIV. De hoc tamen ornamento non eſt cur valde miremur, ſi Macrobium audimus, qui cap. 20. lib. I. ipſum eumdem, ac ſolem eſſe tradit, cui radiatum caput effingit Martianus Capella de Nupt.

Solem te Latium vocitat, quod ſolus honore
Poſt Patrem ſis lucis apex, radiiſque ſacratum
Bis ſenis peribent caput aurea lumina ferre,
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Hanc etiam de ipſo opinionem confirmaſſe traditur oraculum Nicocreonti Cypriorum Regi de illo redditum his verſibus apud Macrobium loco cit.

Sum Deus, & talem credi me denoto cunctis
Caelorum ſublime mihi caput eſt, mare venter,
Terra globoſa pedes, aures ipſum aethera caedunt,
Frons, oculi, vultus, clara fax lucida ſolis.

Conveniebant praeterea huic Deo radii eo quod ignis poteſtatem habere crederetur, refert enim Tacitus hiſtoriar. lib. IV. Ptolemaeo aliquando apparuiſſe, quo facto *viſum eundem juvenem in coelum igne plurimo attolli.* Praeterea cum ipſum eundem ac Ditem eſſe putarent, cui nocturnorum poteſtatem aſſerebant, ut conſtat ex Plinio lib. II. cap. 5., & D. Auguſt. de Civ. Dei lib. IV. cap. 22. hinc facile radiatum caput illi effinxerunt. Ipſum quoque nomen id attributum illi videtur confirmare, ut enim conjecimus in libello de Haebraiſmo Ægyptiorum a *Sarap*, urere, unde Serapin accendentes ſeu accenſis, facile nomen illud peti poſſe videtur.

LXVI. & LXVII.

VASCULA SERAPIDEM REFERENTIA.

IN Acherontico ignotam adhuc guttorum sepulcralium formam animalia sacra referentium publicavimus. Nunc antiquitatum studiosis alteram illorum non minus curiosam speciem exhibemus, atque non adhuc observatam, & Serapidis caput exprimentem, nec unico tantum, sed quadruplici exemplo. Modius capiti instans pro infundibulo est, unde conceptus liquor & in alveolum demissus, rursum adinstar praefericuli effunditur. Id officium praecipue explicat vasculum in Serapidem efformatum, quod integerrimum damus tab. 67. in quo illud amplius notatu dignum occurrit, quod ore Serapidis perforato inde in fistulae morem conclusus humor perbelle diffluit, quod etiam in mustela fictili e sepulcro Tuderti effossa in eodem Acherontico adnotavi; cum enim sacrorum libaminum vim potentissimam esse crederent veteres ad animarum expiationem, illarumque post mortem felicitatem, voluere, ut ex ipso vertice, sive ex ore numinis, cui Inferorum dominium asserebant, in cadavera emanaret, quo artificio arcanam illam ambrosiae perfusionem imitabantur, per quam a Diis divinitas mortuis attribuebatur, ut apud Homerum Iliad. XXIII. 670. Saperdon inter Divos asseritur, & Achilles apud Q. Smirnaeum Paralyp. II. 530., & IV. 693. non aliter Leucothoe apud Ovid. Metamorph. IV. 250., & Æneas lib. XIV. 605. in caetum Deorum adscripti sunt. Hoc etiam pacto Homerus ipse relatus est inter Superos, ut refert Alcaeus Messenius Antolog. lib. III. cap. 25. num. I.

Heroum cantorem in Co Insula pueri Homerum
Dolore affecerunt ex Musis enigmata texentes;
Nectare vero marinae Nereides inunxerunt,
Et mortuum Actaeo posuerunt sub saxo;

ut vero invisibilem hanc perfusionem sensibili aliqua caeremonia homines pro libito imitarentur, liquores quosdam sacros commenti sunt, quos ex hisce guttis super cadavera diffundebant. Potissime vero id officii Serapidi tribuebatur,

tur, ex quo ipſe, ut diximus, idem ac Summanus haberetur, ut praeterea inter Deos ſalutares cenſeretur, ut eruditiſſimus Gorius ad inſcription. Donian. Claſs. 1. num. 19. demonſtravit.

LXVIII. & LXIX.

SERAPIDIS, & ISIDIS PROTOMES.

MUltae ac elegantes ſunt Lucernae, quae quotidie ex agro noſtro Piſaurenſi eruuntur, ſymbolis & parergis inſignes, quarum non paucae ad collectionem hanc adornandam acceſſerunt. Inter ceteras vero ſummo in pretio habendae ſunt geminae iſtae, quas ſubſcriptio Piſauri formatas teſtatur. Pertinent enim ad officinam P. Satri C. F. ex tribu Camilia, quae in fundo Acciano poſita erat. De eo mentio eſt inter Marmora Piſaurenſia a D. Oliverio meo illuſtrata, cujus operis ſplendori nihil profecto deeſt, niſi, ut alteram partem pene jam congeſtam publici juris faciat, & priori adjiciat; de Accianis iſtis Lucernis ſic ille ſub num. 88. *Fundum Accianum, qui ab Euſebio memoratur, exhibent & binae fictiles Lucernae duobus ab hinc annis in arca ſepulcrali ad D. Marinae detectae, quae nunc in locupletiſſimo antiquarum Lucernarum amiciſſimi viri Jo: Bapt. Paſſerii J. C. theſauro ſervantur. Satrios Piſaurenſes aliae memorant inſcriptiones, Satriam Primitivam exhibet marmor LXXVII. Q. Satrius Calliſtus, qui Satriae Pipuſae conjugi monumentum poſuit, fratrem habuit Satrium Trophimum, a quo inſcriptione, quam v. n. CIII., honoratus fuit. Figulinas in Fundo Acciano habuiſſe docent Lucernae fictiles ex Muſaeo Paſſerio.*

ACCIANA
P. SATRI. C. F.
CAM.
SATRI. CAM.

Tribus Camilia, quam in his profitentur Satrii, illos non figulos, ſed figulinae dominos oſtendit. Hunc vero fundum Accianum illum eundem eſſe, quem ſuperioribus ſaeculis

Casartulam, & Montem S. Bartoli, seu Imperialis, dictum constat, & quem politioris literaturae viri *Accianum Montem* nuncuparunt, non est dubium.

Caput Serapidis radiis ornatum supra illustravimus. Isis vero in Lucerna nuda ubera ostendit, ex quibus in vetere gemma lac exprimens Bovem Apim pascit, quae omnia ad ejus mithologiam commode referuntur; ipsam enim, quae & Luna, humiditatis potestatem, unde terra fecundatur, habere opinio increbuerat. Insuper geminis pennis Ægyptio more caput ornat, cujus symboli mentio est apud Ælianum in Hist. Animal. ubi de vulturibus agit, referens ex hujus volucris pennis caput Isidis, & templorum fastigia apud Ægyptios decorari.

Geminae hae Lucernae si ad manus eorum pervenissent, qui Isaurum flumen, quod Urbem nostram alluit ab *Iside aurea* dictum putabant, magnum aliquod se invenisse credidissent, ubi Isidis signum Pisaurensi manu in Lucernis exculptum observassent. Sed hanc de Iside aurea opinionem libenter sibi habeant nebulones illi, qui Pisaurum ab auro Gallis appenso dictum volunt. Id nomen Urbs nostra sortita est, antequam latinus sermo in hac regione invaluisset, cum Graecos hujus Urbis nummos non modo apud Goltzium, sed etiam in museo Oliverio videamus cum epigraphe ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ, quod quidem nomen, non modo urbi, sed & fluvio commune fuit, ut egregie animadvertit laudatissimus Oliverius in marmora Pisaurensia num. XXVIII. At ex ipsis nummis, in quibus caput Herculis populea corona insigniti, sive, ut alii malunt Plutonis, & cerberus observatur, aliquid luminis eruitur, ut credamus ipsum Ditem, quem Ægyptio nomine Serapidem appellavimus, peculiari veneratione caecos illos majores nostros fuisse prosequutos. Ceterum de urbis nostrae, & fluvii nomine, nonnulla in Roncalliensibus attigimus, plura vero in libello de Nominibus Urbium dicenda sunt.

L X X.

SERAPIS IN SERPENTEM DESINENS.

VIx ſub iſta imagine Serapidem agnoſcerem, niſi rurſus illa occurreret in antiquo marmore, quod Romae ex hortis Palumbariis delineatum protulit Fabrettus Inſcription. cap. VI. num. 114. pag. 471. de quo haec pauca tantum vir doctiſſimus. *In marmore anaglyptico hortorum Nobb. de Palumbariis ad veterem portam Exquilinam Iſis cum ſitula calatho, & perſeaefolio, Serapidi ſuo in ſerpentem deſinenti, ſalutare & ipſum animal, copulatur ut hic vides.* Unde facile colligitur virum longe doctiſſimum in ea ſententia fuiſſe, ut in ſerpentem Serapis transformaretur, quod inter Soteres Deos, ut ſupra indicavimus, numeraretur; quae quidem opinio facile confirmari poſſet Cornelii Taciti auctoritate loco toties cit. haec de illo ſcribentis. *Deum ipſum multi Æſculapium, quod medeatur aegris corporibus, conjectant.* Et Nonius cap. VII. num. 104. *Ego medicina Serapi utor*, & Cic. de Divinatione 1159. Somniorum conjectationes explodens, ſubdit *An Æſculapius, an Serapis poteſt perſcribere ſomnium curationem valetudinis?*

Si vero ulteriori conjecturae locus eſt, credibile videtur eam ſerpentis formam idcirco Serapidi additam, quod ipſum animal veluti univerſae naturae genium, & opificem rerum omnium conſiderarent, ut conjectavit Voſſius de Idol. lib. II. cap. II. in fine, cum enim mundi animam exprimere vellent, globum, quem ſerpens medium invaderet, ſculpebant, de quo ſymbolo, quod in pyramidibus fere ſummum locum obtinet, videndus Kirkerius in Prodromo Ægyptiaco. Ægyptiis quoque ſerpens pro Deo habebatur, ut oſtendit idem Voſſius de Idol. lib. IX. cap. XI.

Ideo vero monſtrum id alatum eſſe voluerunt, ut ejuſdem animae operatricis agilitatem, & motum exprimerent, quo reſpexit Lucretius

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Sphynges hinc inde adſtantes Serapidi tribuuntur in arula

la marmorea apud Fabrettum Inscript. cap. VI. num. XX. *Monstrum Ægyptiae religioni familiarissimum*, de quo haec Plutarc. in lib. de Isid. & Osirid. *Ante templa Sphyngem plerumque collocant, quo innuunt suam rerum sacrarum doctrinam constare perplexa, & sub involucris latente sapientia.*

Isidis caput, quae cum Serapide ejusdem tab. Lucerna conjungitur, Lunae symbolo insignitur. Plerumque cum Sole jugata cernitur in aliis Lucernis vol. I. evulgatis, neque difficile esset eo etiam Serapidem hunc nostrum referre, cum non defuerint qui crederent ipsum esse eundem Solem, quam sententiam tuetur inter ceteros Macrobius praefato lib. I. Saturnal. cap. XX. Sed ne a superius expressa, & communi opinione recedamus, qua sub Serapidis imagine Plutonem recognoscimus, in promptu caussa est, cur Isidi Lunam addiderint, quod eadem ac Proserpina haberetur, unum nempe ex Triviae officiis, qua inferis imperare credebatur. Etiam Diodorus Siculus, & Plutarchus Isidem cum Luna confundunt, eaque ratione cornigeram illam appellat idem Plutarchus de Iside, & Osiride, eamque Lunigeram facit Ovid. Metamorph. IX.

Inachis ante torum pompa comitata sacrorum
Aut stetit, aut visa est, inerant Lunaria fronti
Cornua.

Quia vero humidae naturae potestatem habere credebatur, situlam illi aquae niloticae addiderunt. Servius in VIII. Aeneid. vers. 696. Isis est *Genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus, recessusque significat; per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum, idest fossarum, in quas Nilus stagnans recipiebatur.* Idem quoque ad II. Aeneid. vers. 116. testatur in ejus templo aquam spargi consuevisse, quae quanquam aliunde hausta, nilotica religionis ergo vocabatur: *sciendum in sacris simulata pro veris accipi, unde cum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum, de pane, vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur; hinc est etiam illud sparserat, & latices simulatos fontis averni, nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur.* Apulejus quoque lib. XI. Isidis pompam describens haec subdit *Idem* (Antistes)

ge-

gerebat aureum vasculum in modum papillae rotundatum, de quo lac exibat, & paulo infra simulacrum Isidis describit, quod non hominem, non animal repraesentabat, ita enim se habebat. *Urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata* & alibi in eodem libro aqua libatum in ejus sacris testatur. *Dispositus circumiens Sacerdos, rem Divinam procurat, suplicamentis solemnibus de penetrali fonte petitum, spondeo libat.* Hinc colligitur siculae, quae in medio Lucernae effecta est, significatio, quam etiam in aliis ejusdem Deae monumentis animadvertit Fabrettus dicto cap. VII. a num. XX.

Ceterum Isidem Serapidi junctam omnibus fere scriptorum testimoniis comprobatur. In primis Taciti loco cit. *Fuerat illic sacellum Serapidi, atque Isidi antiquitus dicatum.* Accedit Macrobius loco pariter allegato: *Eidem Ægypto adjaciens Civitas, quae conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapim atque Isim cultu pene attonitae venerationis observat.* Ex Divo quoque Augustino lib. XVIII. cap. V. de Civ. Dei colligitur numina haec promiscua veneratione copulata. Pro omnibus vero unus nobis sufficiat Apulejus, qui Metamorph. lib postremo, ubi multa de Iside, atque Osiride, qui unus ac Serapis est, ut late probat Fabrettus loc. cit. haec verba subjicit. *Quanquam enim connexa, imo vero unica ratio Numinis* (Isidis & Osiridis) *religionisque esset, tamen Zelatae discrimen esse maximum cognoscunt.* Quo pertinent ea, quae alibi de his protulerat. *Cujus numen unicum multiformi specie, rituario nomine multijugo totus veneratur Orbis.*

L X X I.

CAPUT SERAPIDIS, & ISIDIS TURRITUM.

UBi ex marmore Gruteriano Isidem Mirionimam, hoc est mille nominum, fuisse legerimus, minime mirabimur ipsam aliquando pro Minerva habitam, pro Diana, Proserpina, Lucina, Junone, Cerere, & demum Tellure, omnia enim earumdem Dearum symbola illi tribuebantur,

ut

ut minime novum ſit in hac Lucerna turrito capite illam apparere, ut quodammodo cuncta Pantheae Deae ſigna invenire in illa datum ſit. Ipſam vero eandem ac Tellurem habitam fuiſſe expreſſe ſcripſit Macrobius Saturnal. lib. I. cap. XX. in fine. *Iſis cuncta religione celebratur, quae eſt vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli. Hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deae omne denſetur: quia vel terra, vel rerum naturae altu nutritur univerſitas.* Et capite ſequenti. *Nec Iſim aliud eſſe, quam terram, ut diximus, naturamve rerum.* Immo Servius in VIII. Aeneid. verſ. 696. Iſidis nomen apud Ægyptios nihil aliud quam terram ſignificare tradit: *Iſis autem lingua Ægyptiorum eſt terra, quam Iſim volunt eſſe.*

Hinc colligimus quam circumſpecte procedendum ſit in antiquorum monumentorum explicatione. Nemo enim non Berecynthiam hanc appellaſſet, quae ejus geſtamen in capite oſtentat. Quia vero Serapidi juncta eſt, illam non Cybelem, non Berecynthiam, aut Matrem Magnam nuncupare debemus, ſed Iſidem. Quaeſtio quidem de nomine eſt, cum ceteroquin poteſtas una eademque reputetur ſub varia nuncupatione comprehenſa. At cum verſemur in monumento, quod ab Ægyptia mythologia dependeat, Dea illa non Phrygio, non Graeco, nec Latio nomine, ſed patrio debuit indigitari.

Fateor tamen Iſidem Ægyptii operis vix unquam turritam apparuiſſe. Hoc illi ornamentum Romae additum eſt a Latino artifice, qui ut gratiam Ægyptiorum iniret, quorum multiplicia in Urbe ſacra extiterunt, Numina Ægyptiaca Latinis modis expreſſit.

L X X I I.

ISIDIS IMAGUNCULAE IN LUCERNARUM MANUBRIIS.

Lucernas pulcherrimas edidit olim Bellorius part. II. num. XVI., & XX., in quarum anſulis imagines Serapidis prominent, pectore tenus expraeſſe, ut ardentes lychneoli

chneoli ſimulacrum quoque ſecum ferrent, cui luminis honor praeſtaretur. Harum nullam adhuc integram ad me deferri datum eſt, ſed imagunculae illae Serapidis a Lucernis avulſae multiplices apud me ſunt. Contigit vero etiam icones Iſidis cumulare, quae eidem uſui deſervierunt, ut inferiora Lucernae veſtigia, & poſtica anſa oſtendunt. Has quia nondum vulgatae fuerant, placuit publicare, ut jam ſciant antiquitatum cultores Lucernas extitiſſe, quae utriuſque inferni numinis imaginem prominentem conſervarent.

Obſervatur in priore icuncula, quae integerrima adhuc eſt, totum capitis ornamentum: geminae vulturis pennae in altum aſſurgentes, praeterea & perſicum pomum inter gemina ejuſdem arboris folia hinc inde diſpoſita collocatum, quo geſtaminae caput Iſidis plerumque ornatum obſervatur, potiſſime in marmoreis ſignis, quae ex Ægypto adducta ſunt. Hujus ſymboli rationem prodidit Plutarchus de Iſide, & Oſiride *De Stirpibus Ægyptiis maxime conſecratam Deae ajunt perſeam, quod ejus fructus cordis folium linguae ſpeciem refert; quippe eorum, quae homini obtingere poſſunt, omnium nihil divinius eſt oratione, praecipue de Diis, neque majus res ulla ad felicitatem momentum affert, itaque hic Oraculum intraturo mandatur, ut ſancte ſentiat, & modeſte loquatur.*

In utraque vero capillitium in cirros diffuſum juxta Ægyptium morem obſervare datum eſt. Hoc nempe cultu illam cives ſui exprimebant, quapropter ΛΥΣΙΚΟΜΟΝ appellatam videmus, ΕΠΙΣΕΙΤΟΝ a Luciano, hoc eſt ſolutas comas, & vento diffuſas habens. Apulejus quoque in XI. Metamorph. ſic illam deſcribit: *Jamque primum crines uberrimi prolixique, & ſenſim intorti per Divina colla paſſim diſperſi, molliter defluebant.*

LXXIII.

L X X I I I.

SERAPIS THRONO INSIDENS.

DEus idem in pulcherrima hac Lucerna ſublimi throno, & ſuppedaneo elatus conſpicitur. Sceptrum ſiniſtra gerit, quo ſe inferni regem teſtatur, qualem ipſum deſcribit Orpheus in hymno Typhonis.

O ſubterraneam habitans domum forti animo
Tartareum campum umbroſum, & luminibus carentem
Jupiter terrene Sceptriger.
Qui thronum firmaſti ſub tenebroſo loco
Qui imperas mortalibus mortis gratia o multiſcius Deus.

dextera Cerberum mulcet, ſeu potius triceps monſtrum, quod illi familiare fecit antiquitas. Sic enim ejus ſimulacrum deſcribit Macrobius Saturnal. lib. cap. xx. *Calathum capiti ejus* (Serapidis) *infigunt, vel dum ſimulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur manſueta ſpecie blandientis. Pars vero leva cervicis rapacis lupi capite finitur, eaſque formas animalium draco connectit volumine ſuo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conſpicitur monſtrum.* Et Fulgentius in Mythologico lib. 1. *Tricerberum canem Plutonis ſubjiciunt pedibus, quo mortalium jurgiorum invidiae ternario conflentur ſtatu, ideſt naturali, cauſali accidentali.*

In hac vero Lucerna, ſive majorem facilitatem quaeſierit artifex, ſive quia ita quoque conveniens eſſet; Cerberus terna canis capita attollit, neque aliter id monſtrum deſcribit Porphyrius in Interpret. Divinor. ubi Serapidis ſymbolum fuiſſe ait canem tricipitem, nempe perniciosiſſimum Daemonem, qui in aqua, terra, & aere mala omnia illaturus circumverſatur.

L X X I V.

SERAPIS SOLIO INSIDENS SACERDOTE PROPE ADSTANTE.

HAec Serapidis imago multo praecedenti praeclarior habenda eſt, quippe quae plura contineat, quae in illa deſiderantur. Et primo quidem obſervandum ſeſe offert, quod Serapis dexteram non otioſe protendit in cerberum, ſed faucibus intermedii capitis vel offam, vel pateram porrigit, haud obſcuro indicio poſſe illum oblatis quibuſdam dapibus deliniri. Hujus opinionis, quae certe apud Ethnicos invaluerat, teſtimonium elegantiſſimum habemus in antiquo marmore apud Fabrettum, quòd explicavimus in diſſertatione *de tranſvectione animarum*, in quo conſpicitur adoleſcens, qui ad infernas ſedes accedit, & cerbero ſibi occurrenti aliquid vorandum porrigit. Quam religionem ſecutus eſt Virgilius Aeneid. VI., verſ. 417. referens ab Aenea quoque id ipſum factitatum.

Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Perſonat adverſa recubans immanis in antro,
Cui vates horrere videns jam colla colubris
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga revolvit.

A tergo Serapidis ſacerdos rectus, & rigido corporis ſtatu, ut fere omnia Ægyptia ſigna ſe habent, conſpicitur. Talem prorſus deſcribit Ægyptium ſacrificulum Apulejus in principio Metamorph. *Antiſtites ſacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem ad uſque veſtigia ſtrictim injecti, potentiſſimorum Deum proferebant inſignes exuvias.*

Haec autem dum accuratius perſcrutarer, occurrit mihi Taciti locus lib. IV. Hiſtoriar. circa finem, in quo portentum illud, quod Veſpaſiano contigit, ennarratur, adeo huic noſtrae imagini conforme, ut quodammodo ad illud alluiſiſſe figulus viſus ſit. Refert eo loci hiſtoricus Veſpaſiani acceſſum in Serapidis templum per haec verba: *Al-*

tior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus Imperii consuleret. Arceri templo cunctos jubet, atque ingressus, intentusque numini, respexit pone tergum e primoribus Ægyptiorum nomine Basiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & aegro corpori detineri, haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum iniisset; percontatur obvios, num in urbe visus sit. Denique missis equitibus explorat illo temporis momento octoginta millibus passum absfuisse. Tunc divinam speciem, & vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est.

Sacerdos iste (sive interim quicumque ille sit) qui Serapidi adstat, situlam sustinet, qua sacer aliquis liquor in usum libaminum contineretur, vel ad denotandum ejus in totam Ægyptum, quae aqua irrigatur, potestatem. Id etiam facile significare videtur crocodili imago, quae sub ejus pedibus extenditur, qua imagine ipsa Ægypti regio indicari videtur. Nec vero Suidae auctoritas, nec Rufini in historia praetermittenda erat aperte dicentium, fuisse, qui crederent Serapim esse ipsum Nilum, propter eaque ejus capiti modium additum, quod ejus fecunditate terra illa frugibus abundaret. Subjungit praeterea idem Suidas hac ratione eidem Deo cubitum, idest aquae mensuram fuisse attributam; quae quidem Dei natura mirifice per crocodili imaginem designatur, quippe qui unus omnium quadrupedum in ipsa aqua & gignitur, & adolescit, insuper & pascitur.

L X X V.

S P H I N X.

SPhynges saepesaepius intuemur, ut animadvertit eruditissimus noster Gorius in notis ad Tab. XVI. Inscription. Donianarum. Multa quoque super id argumentum collegi in notis ad marmora Tudertia, inter quae hujuscemodi parerga saepissime ornant ossuaria defunctorum. Sphynges in templorum aditu collocatae fuere ab Ægyptiis, ut qui illa adirent ex earum perplexa imagine intelligerent, nihil sibi curiose de Diis investigandum, quorum naturam nunquam

quam essent ingenio assecuturi, ut suo loco dicemus. At Graeci, & Latini, quanquam forte ab Ægyptiis id monstri commentum mutuati sint, longe aliud sibi in ea imagine proposuerunt, cum enim vulgo crederetur belluam hanc triformem, quae ex humana, volucri, & quadrupede natura constabat, omniumque nequitias in se cumulaverat, ex ortho cane, & chimera natam fuisse in hominum perniciem, & in agrum Thebanum immissam, ubi plurimos trucidaverat, consequens erat, ut ejus imaginem inter inferni monstra reputarent, inter quae Lernaeam hydram collocavit Virgilius, & leonem Nemeaeum Theocritus in Hercule Leonicida; quanquam illa chimerae amita, hic vero frater illius haberetur, ut Hesiodus refert. Cum itaque haec monstra inferna loca colere crederentur, invaluit ut illa a Graecis, pariter cum Thuscis, atque Italis tanquam familiaria mortuis spectra in sepulcris celarentur. De marmoreo hoc simulacro pluribus disserui in notis ad postremam Lucernam superioris libri, ubi conjecturam forte non inanem protuli hanc sculpturam in templo aliquo donarii loco fuisse collocatam; consueverunt enim Etrusci omnia fere infernalium bestiarum genera Diis offerre, ut constat ex inscriptionibus gryphis Etrusca lingua exaratis in latere chimerae, & similium portentorum; quum enim divina origine procreata illa essent, Deorumque jussu inter homines immissa crederentur, nil prohibebat eorum icones, vel Diis eorum progenitoribus, vel illis quorum nutu paruissent, & mortem obiissent, dono dari potuisse.

LXXVI. LXXVII. & LXXVIII.

HECATE TRIFORMIS.

TYpum tricorporis Dianae, quae nempe ex triplici diverso aspectu constat obversis invicem tergis simul conjuncto observaverat olim Seguinus in nummo aereo Philippi Junioris ab Antiochensibus cuso, rursusque non absimilem imaginem animadvertit Spanhemius in nummo Gordiani Pii, illamque illustravit in Caesar. Imp. Julian., uter-

que vero doctiſſimus vir ſub ea imagine furias repraeſentari reputavit, quorum opinio ſatis probabilibus argumentis innixa erat, nec aliter fortaſſe tantorum virorum ductu eruditorum reſpublica ſentiebat, neque enim error deprehendi poterat in tam minutis iconibus, niſi grandiores imagines, & ſtudioſiore artificio ductae nobis occurriſſent.

Haec ſors primum contigit Cauſeo, qui ipſam eandem imaginem in grandiuſculo marmore contemplatus eſt Romae in aedibus Caliſiis, illamque triplici aſpectu delineatum protulit in Muſeo Romano inter Deorum imagines tab. XIII. & ſequent., & aptiſſimis notis illuſtravit, nihilque in eo ſigno praeter Dianam triformem inquiri debere demonſtravit. Alterum etiam ejuſdem Deae ſimulacrum praecedenti omnino reſpondens tripedali altitudine vidi Romae in Capitolio. Alterius vero ſimulacri ejuſdem numinis ſuperiorem partem ex muſeo ſuo publicavit D. Gorius tab. LXXXI. T. I. Muſ. Etruſ., quod quia ſuperne in columellam deſinebat in uſum candelabri ſtatuam illam fuiſſe concinnatam prudenter judicavit, quod munus ei perbelle (ut ait in notis) congruebat, quae nocturnis ſacrificiis colebatur, quin etiam lucifera, & δαδουχος ſive taedifera nuncupatur; at forte fortuna unum ex ejuſdem Deae ſignis non modo artificio, ſed & integritate ſpectabile ex marmore exculptum, mihi comparare datum eſt pedali majus, in cujus ſuperextante columella, latum foramen obſervatur, quod in uſum infigendae lucernae deſtinatum eſſe cognoſcitur, unde manifeſte deprehenditur virum doctiſſimum cum domeſtici cimelii uſum aſſignaverat, minime a vero aberraſſe.

Ex his vero triformibus ſimulacris Triviae nomen Dianae inditum, non dubitamus, ipſa enim in triviis nocturno ritu colebatur, in quibus ipſa circumverſari putabatur Virgil. Æneid. IV. 609.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per Urbes,

ubi Servius: *Sacra enim Hecates in triviis frequentantur per noctem*; quod etiam ex antiquo Ariſtophanis Scholiaſte collegit idem meritiſſimus Gorius apud quem haec animadvertit: Hecaten antiquitus coluere in triviis, propterea quod eandem, & Lunam, & Dianam, & Hecaten voca-

vocarent, ex quo institutum est, ut illius simulacra sub trino aspectu effingerentur, ut in illorum medio disposita, ternis viis proprium exhiberent occursum, ut manifeste dixit Ovid. Fastor. I.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes
Servat, ut internas compita secta vias.

Hinc illam tricipitem vocavit Metamorph. VI.

Tuque triceps Hecate, quae caeptis conscia nostris
Adjutrixque venis,

Et Claudianus de raptu Proserpinae lib. I.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur:

Et Virgilius Æneid. IV.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

quem locum luculentissime enucleat Servius per haec verba: *Lunae, Dianae, Proserpinae. Et cum super terras est, creditur esse Luna; cum in terris, Diana; cum sub terra, Proserpina. Nonnulli eandem, Lucinam, Dianam, Hecatem appellant, ideo quia uni Deae tres adsignant potestates, nascendi, valendi, moriendi, & quidam nascendi Lucinam Deam esse dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecatem; ob triplicem potestatem triformem eam, triplicemque finxerunt, cujus in triviis templa ideo struxerunt*, quo respexisse videtur Lucanus cum dixit:

Hecate pars ultima nostrae.

Sed symbola hujus nostri simulacri prosequamur. In priore aspectu duplicem pateram dextera, sinistra facem tenet, in secundo globum sinistra contra pectus attollit, dextera manu vacua. In tertio vero dextera funem complicatam, sive serpentes (nec enim antiquitas id discrimen patitur observari), sinistra vero circa pectus mali punici pomum stringit. Haec symbola haud valde differunt ab iis, quae Causeus in Chisio marmore animadvertit, cujus primus aspectus geminas faces attollit, secundus serpentem cum secespita, tertius funem, & clavem. Sub priore celestem Dianam agnoscimus, quam quia lumine suo noctem illustrat.

Rite crescentem face noctilucam

vocat Horatius, & de qua fragmentum Bacchilidis.

Heca-

Hecate tedigera noctis magnum habentis sinum
Filia.

Patera vero, quam in nostro signo conspicimus, ad communem respicit religionem, qua Diis omnibus paterae, quod thure, & vino placarentur, tribui solebant. Lunae vero praesertim novae vinum largius fundebatur Horat. Carm. III. Ode XIX.

Da Lunae propere novae,
Da noctis mediae, da puer auguris,
Murenæ; tribus, aut novem,
Miscentur cyathis pocula commodis.

Alterum vero hujus simulacri aspectum, per quem terrestris Diana repraesentatur, explicare non est in promptu, quum symbolum illud, quod manu pectori admota continebat, injuria temporis detritum sit; Tertia vero facies, quae ad Hecatem, sive Dianam inferam pertinet, facile explanabitur, si illam cum Chisio marmore comparemus. Utraque enim complicatas funes ostentat, per quae indissolubilia inferorum vincula designantur. Forte etiam ad ea ligamina alludunt, quibus sese innexam Proserpina Cereri videndam praebuit, postquam a Plutone rapta fuit, ut explicat Claudianus de raptu Proserp. lib. III.

Namque videbatur tenebroso obtenta recessu
Carceris, & saevis Proserpina vincta catenis.

& paulo post

Unde haec informis macies, cui tanta potestas
In me saevitiae est, rigidi cur vincula ferri,
Vix aptanda feris molles meruere lacerti?

paucisque interjectis

sic fata trementes
Tendere conatur palmas, vis improba ferri
Impedit, & motae sonitum excussere catenae.

Pomum vero punicum, quod sinistra attollit, imaginem nobis ingerit illius fati, quo cum grana aliquot mali punici apud inferos degustasset, nunquam amplius inde erui potuit. Serv. in I. Georg. vers. 39. Ceres quum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu quaesiisset, tandem aliquando eam apud inferos comperit. Pro qua re cum Jovis

vis imploraſſet auxilium, ille reſpondit poſſe eam reverti, ſi nihil apud inferos guſtaſſet. Illa autem jam punici mali in Elyſio grana guſtaverat, quam rem Aſchalaphus Stygis filius prodidit. Unde Proſerpina ad ſuperos remeare non potuit.

Pauſanias tamen in Chorinth. etiam Junonis ſignum vidiſſe refert, quae ſceptrum, & ſimile pomum ſuſtinebat.

L X X I X.

ISIDIS NAVIGIUM.

COnſtat haec ingens, atque perrara Lucerna, ex nigerrima argilla molli atque ſplendente, ideoque omnino peregrina, nec enim aliquod toreuma ex eadem materia conflatum adhuc in tanta ceramica ſupellectile obſervavi. Alteram tamen ex Ægypto allatam ab hac non valde diſcordem, & Ægyptiis ſymbolis exornatam publicavit Licetus in commentario de antiquis Lucernis, quae indicia tanti apud me ſunt, ut hanc quoque Lucernam ex Ægypto advectam reputari poſſe non diffidam.

Exhibetur in ea ſacrum illud navigium (ΒΑΡΙΣ ab Herodoto nuncupatum) in quo ſtatis diebus bovem Apim ſolemniſſimo ritu per Nilum deducebant. Caeremoniam ita deſcribit Diodorus Siculus lib. II. *Sacerdotes quibus ea imminet ſollicitudo, primum in civitate Nili vitulum producunt, in qua eum nutriunt diebus quadraginta. Deinceps in navim contectam habitaculum aureum habentem, introducentes, & ad Memphim ut Deum ducentes in Vulcani Fano locant. His diebus ſolae mulieres taurum vident, quae ante ejus faciem adſtantes, veſtibus ſublatis ei abraſum foemen oſtentant.* Unam vero ex hiſce navibus prodigioſae magnificentiae conſtruxerat Seſoſtris, de qua idem Diodorus lib. I. *Navem ex cedro fecit CCLXXX. cubitorum longitudine, deauratam exterius, intus vero deargentatam, quam dono obtulit Deo, qui maxime Thebis colitur.* Plutarchus etiam lib. de Iſide, & Oſiride hujus navis, qua Apin devehebant, teſtimonium reddidit, & apud Tacitum in Germania Iſidem cultam intelli-

telli-

telligimus ſub imagine Liburnae navis, erat enim & ipſa navigantum praeſes.

At ritus ſacrarum navium apud Ægyptios non modo ex religione expetitus eſt, quia ſignificarent ejus Deae opem auxilio humidae naturae in terram deferri, verum etiam ex ipſa loci neceſſitate; cum enim interjecto flumine, & foſſis, & aggeribus tota Ægyptus divideretur, & omnino ſine navibus impervia eſſet, operae praetium erat, ut cum pompa de una in aliam Urbem ducenda eſſet, navigiorum auxilio uterentur. Commenta ſunt inde myſteria, quae ſola neceſſitas introduxerat.

Apidi in hac navi delineato monopodium appoſitum eſt, unde cibum capiebat, quale prorſus in menſa Iſiaca, atque in aliis Ægyptiorum monumentis paſſim occurrit, quod quidem ferculum in maxima religione apud Ægyptios habebatur, nullum enim fere oraculum ſanctius apud ipſos erat, quam obſervare, ubi quis cibum huic bovi offerret, caperet ne, vel averſaretur, quod maxime triſte habebatur, ut colligitur ex Plinio lib. VIII. cap. XLVI.

Puppim & proram Ægyptia numina, forte Cinocephalus, & Helurus inſident, ſuntque navi, veluti paraſemon, atque acroſtolium. Aream vero navis, quam ſtegam, ſive proſcenium vocat Fulgentius de Voc. antiquis tenet ſive ipſum Iſidis ſimulacrum, aut aliud quodpiam, & conſimile numen, aut imago ſacerdotis, qui pompam moderaretur.

Uſum hujus Lucernae aſſignare in promptu eſt a ſumptuoſa illa illuminationum caeremonia, quam in Iſidos Sacris frequentabant Ægyptii, de qua ſic Herodotus in Euterpe cap. 62. *Ubi vero in Sain urbe ſacrificatum convenerunt, noctu ſub dio univerſi circum domos frequentes lucernas accendunt, imbutas ſale, & oleo plenas cum multo lychno, quo tota ardent nocte, cui feſto nomen impoſitum eſt, accenſio lucernarum.*

Apulejus quoque praecitato lib. XI. de Iſidis pompa haec refert. *Magnus praeterea ſexus utriuſque numerus lucernis, taedis, cereis, & alio genere facium, lumine ſiderum celeſtium ſtirpem propitiantes. Et paulo poſt aliam peculiarem lucernam*

in

in ejus pompa adhiberi ſolitam ſic deſcribit. *Quorum primus lucernam promicantem claro porrigebat lumine non adeo noſtris illis conſimilem, quae veſpertinas illuminant epulas, ſed aureum cymbium medio ſui patore flammulas ſuſcitans largiores.*

L X X X., & L X X X I.

LUCERNAE AEGYPTIIS IMAGINIBUS OBSIGNATAE.

PRaecedentem Lucernam Ægyptii operis eſſe facile comprobat non modo artificium, ſed & argilla omnino peregrina. Hae vero, quas hic adducimus, Ægyptio quidem ſtylo & ingenio ductae ſunt, ſed materia omnino Romana eſt; hinc facile ſuſpicamur vel Ægyptios homines, qui patria ſacra Romae frequentabant, parvos hoſce lychnos ſibi comparaſſe, in quibus Ægyptiacam formam imitati ſunt, vel ipſos Romanos figulos, ut uberiorem quaeſtum ſibi parerent, ita Niloticas formas eſſe imitatos.

Harum prima Oſiridis ſignum leontomorphon tiara inſignitum exhibet, quam globus ſuperne exornat; lanceae vero innititur. Iſis contra accipitrina facie deformata ſimili tutulo caput exornat, e quo intorta virgula prodit, quae lituum auguralem imitatur; arpagonem vero haſtatum retinet.

Ex tribus numinibus, quae in ſequente lucerna obſervantur, primus aſſurgit Anubis canino capite, cui lunula impoſita eſt. Ex alia parte Iſis ciconiae capite inſtructa conſpicitur, cujus vertici globus impoſitus eſt; medius ſedet Cynocephalus alterum globum capite deferens.

Quae quidem monſtra ne omnino intacta praetermittamus, paucis explicanda ſunt. Et quod caput eſt, ipſum Oſiridem leonino vultu effictum fuiſſe demonſtrant ſatis vulgata ejus ſimulacra, quorum praecipua religio apud Leontopolitanos viguit, ut ex Clemente Alexandrino in Prot. conſtat, cujus rei haec ratio reddi poteſt, quod cum per Oſiridem ipſum Nili defluxum intelligerent, iſte

cum sol attingeret leonis ſignum, ex decidentibus in Aethiopia maximis & quotidianis imbribus opportune redundaret, quod non obſcure indicare videtur Plutarchus in lib. de Iſide, & Oſiride. *Et de ſideribus Sirium Iſidi adſcribunt, cum aquam ducat, & leonem venerantur rictibuſque leoninis januas templorum ornant, quia Nilus exundat.*

Titanis primum curru tangente Leonem,

ſicut autem Oſiridem Nili defluxum, ita corpus Iſidis terram putant, non univerſam, ſed quam Nilus inundans foetam reddit.

Iſis ſeu Luna, quae contra ipſum conſtituta eſt, accipitris caput oſtendit, qui quidem aſpectus ob ejus avis in volando pernicitatem & oculorum perſpicuitatem dignus Deo credebatur, quapropter ex ethnicorum ſcriptis haec refert Euſebius in fine lib. I. de Praeparatione. *Habet vero Deus caput accipitris*, idemque auctor alibi refert Heliopoli Lunam accipitrino capite figuratam. Quia vero eandem ac Iſidem eſſe ferebant, arpagonem illi addiderunt, quo Oſiridis dilaniata membra ex aqua attraxiſſe credebatur, ut illa honore ſepulturae decoraret, de qua fabella videndus Dionyſius eodem lib. I. Virga autem incurva, quae ex illius tiara aſſurgit, facile repraeſentat aſpidem illum, quem reges Ægyptii inſigne ſummae poteſtatis in corona deferebant, ut refert Ælianus de Hiſtoria Animalium lib. VI. cap. XXXVIII.

In altera lucerna canino capite Anubis aſſurgit, quem Oſiridis, atque Iſidis fratrem teſtatur idem Dionyſius, & Julius Firmicus *de errore falſae relig.* Oſiride vero per Typhonis fraudem diſcerpto, ut ejus ſparſa membra conjux, & ſoror Iſis inveniret, Anubim venatorem adhibuit. *Cui ideo caninum caput impoſitum eſt, quia lacerati corporis partes artificio canis veſtigantis invenit.* Quapropter latratorem illum appellat Virgil. Aeneid VIII.

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.

Ubi Servius *latrator quia capite canino pingitur. Hunc volunt eſſe Mercurium, ideo quia nihil eſt cane ſagacius.*

Ibin ex alia parte conſpicimus, quam ſummo honore, ut beneficum animal Ægyptii venerati ſunt, Herodoto teſte

ſte in Euterpe: *Fertur ex Arabia ſerpentes alatos ineunte ſtatim vere in Ægyptum volare, ſed eis ad ingreſſum planitiei occurrentes aves ibides non praetermittere, atque ipſos interimere, & ob id opus ibidem magno in honore ab Ægyptiis haberi.* Et Cicero I. de natura Deorum cap. XXXVI. *Ibes maximam vim ſerpentum conficiunt, cum ſint aves excelſae rigidis cruribus, corneo proceroque roſtro, avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libiae vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt; ex quo fit ut illae nec morſu vivae noceant, nec odore mortuae.* Quapropter in tanto honore ab Ægyptiis habitas refert Plinius lib. x. cap. XXVIII., ut illas etiam invocatas fuiſſe teſtetur. *Invocant, & Ægyptii ubides ſuas contra ſerpentum adventum.* Imo & adoratas teſtatur Juvenalis Satyr. XV.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.

Sedet medius, ſive Cynocephalus, ſeu malimus Cercopithecus, utrumque enim exprimere poteſt quadrupes natibus inſidens, cetera rectus, cujuſmodi ex nigro marmore plurimos vidi Romae. De hoc numine mentionem fecit idem Juvenalis loc. cit.

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Cur vero ſub hiſce imaginibus animalium Deos effingerent Ægyptii, duplex ratio affertur, una quam affert Plutarchus loc. cit., & Servius in Aeneid. VIII. verſ. 698., quod Typhonis metu in haec animalia Dii ſeſe ocultaverint *Bello Gygantum plures Deos ferarum formas accepiſſe traditur.* Altera vero, quam ſubdit idem Plutarchus, & confirmat Dionyſius Halic. eodem lib. I., quod nempe eiſdem animalium inſignibus, cum adverſus hoſtes dimicarent, Dii illi uſi eſſent; unde victoriae monumentum ea animalium capita retinuere. Sunt qui tertiam, atque altiorem indagandam ſibi proponant ex eorundem animalium natura, quae aliquam ſymbolicam ſimilitudinem cum Deorum attributis conſervaret.

Lucernae in superioribus voluminibus praetermissae.

L X X X I I.

JUPITER AB AQUILA ELATUS.

PRotulimus hujus operis vol. I. tab. XXV., & XXVI., alias hoc typo insignitas lucernas, in quibus facili negocio Jovem de Titanibus triumphum agentem recognoscimus; Aquila enim, cujus auspicio, quaque armigera Titanas subjecerat, sublimem ipsum in coelum effert, fulmen interim, quo iterum de coelo tonet, ei subministrans.

Cum haec scriberem, aliae, atque aliae insuper ejusdem typi Lucernae ad me delatae sunt, ex quibus maximam ejusdem formae copiam extitisse facile cognoscimus. Quapropter haec non in sepulcrorum usum, a quibus religio Jovis abhorrebat, sed in usum consecrationum fuisse concinnatas jam nullus dubito, quum enim solemnes isti honores defunctis principibus adhiberentur, nullum fere symbolum justius haberi poterat ad apotheosim Imperatorum significandam, quorum animas ab aquila deferri in coelum credebant, quam cum Jovem ipsum eidem aliti insidentem effingerent.

Hanc Lucernam, quia mole sua insignis est, minime posthabendam duximus.

L X X X I I I.

PAVO IN LUCERNA BILICHNI.

NItore atque elegantia haec Lucerna longe excedit alteram cum pari symbolo expositam tab. XL. vol. I., maximeque dolendum extremas ejus partes antiquitate fuisse labefactatas. Insigne pavonis ad Junonem pertinet ob Argum sibi apprime carum, atque a Mercurio occisum, quem

quem postea Juno in hanc avem convertit. Ovid. Metamorph. I.

Arge, jaces, quodque in tot lumina lumen habebas
Extinctum est, centumque oculos nox occupat una,
Excipit hos, volucrisque suae Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.

Mala punica, quorum ramo insidet pavo, ad Junonem referri demonstravimus in notis ad praefatam lucernam, & attigimus supra ad tab. LXXVIII. Pertinebant etiam ad Berecynthiam, quod ex Atydos sanguine ea arbor nata sit, ut refert Arnobius lib. V.

Adjecimus huic tabulae parergi loco bullas geminas ex cristallo conflatas, in quibus pavo expansa cauda repraesentatur limbo ita concinnato, ut aureo, sive aereo circulo includi posset, unde arguimus fuisse conflatas, ut amuleti loco deferri possent a matronis in obsequium Junonis, sub cujus tutela erant. Pertinet praeterea pavo ad symbola sepulcralia, nam ejus officio feminarum animas in coelum efferri credebant, ex quo inverisimile non est bullas hasce ex illis fuisse, quae gemmarum loco in mulierum sepulcris reponebantur, ut indicavimus in prolegomenis ad gemmas astriferas, inter quas locum suum etiam sepulcralibus assignavimus.

L X X X I V.

PALLADIS SIMULACRUM.

HAec imaguncula Palladis, quam inscriptio *Ulpiani Sigillatoris* circa tergum signata illustrat, foramen in dextera manu habet, cui ferrea, vel aerea lancea, tantam enim tenuitatem argilla non ferebat, immitteretur. Alterum item foramen in cassidis cono habet, per quod plumae hinc inde trajectae, galeam imitarentur; aliudque circa femora hinc & inde pervia, coaevum sane operi ostendit, ut tigillo aliquo claviculis traductis infigeretur. Observavimus enim in alio Jovis Sereni sphragismate ad tab. XXXIII. vol. I. fictiles hasce imagunculas tutelae loco, vel

super

ſuper thyries januarum, vel in naviculis apponi conſueviſſe, quod tenuioris fortunae homines uſurpabant, quorum opes ad aereos, & eburneos Deos accedere non paterentur.

Subdidimus eidem tabulae additamenti loco lucernam, in qua ales obſervatur olivae thallo inſidens, quae arbor Palladi ſacra ejus imaginem jure merito ſequebatur. Vir alioqui doctus contendebat lucernam hanc inter Chriſtianas afferendam, quod ſibi in illa videretur videre Noemici diluvii columbam, cum oleae ramo redeuntem. At ei ſententiae minime ſubſcribo, quamquam enim non negem plurimam ejuſdem hiſtoriae rationem habuiſſe pictores, atque ſculptores Chriſtianos, prout videre eſt in coemeterialibus picturis, ac etiam in ſarcophagis IV., & V. ſaeculi apud ſubterraneae Romae ſcriptores; attamen lucerna haec longe diverſo ingenio, ac manu efformata eſt, ut eam minime dubitem ethnici operis eſſe; conſtat enim ex illius ſubſcriptione prodiiſſe ex officina *Caii Oppi reſtituta*, ex qua multae aliae ethnicis ſymbolis inſignitae apud nos aſſervantur. Ipſa praeterea lucernae forma, quin eam inter Chriſtianas computemus, reclamat. At quo pacto haec ab illis diſtinguantur, definiri verbis non poteſt. Praeſtabit hoc beneficium longus uſus, & potius quam ſtudium, diuturna contrectatio. Et ſi quid verba poſſunt, ſequente libro, in quo Deo dante intactam hanc provinciam attingemus, & iconibus ad vivum expreſſis, & ſedula deſcriptione, atque examine, & materiae, & artificii, & peculiarium ſymbolorum, quoad fieri poterit, ſacrum argumentum illuſtrabimus. Ne tamen intacta omnino abeat haec lucerna, ſuſpicari mihi liceat corvum hic exprimi inſidentem ſymbolo Palladis, cui & ipſe ales ſacer erat, & gratiſſimus, dum albis pennis veſtiretur; at ob ejus loquacitatem aliquando poſthabitus in nigrum converſus eſt, eique noctua antepoſita. Fabulam narrat Ovidius Metamorph. II.

Idem ipſiſſimus typus hujus lucernae obvius eſt in nummis Domitiani minimae formae, quorum explicationem videre eſt apud Plovenium in notis ad Muſ. Farneſianum Tom. IX. tab. II. num. 20., & Tom. IV. num. 16. Sunt tamen qui typum illum Apollini tribuant, cui corvus ſacer erat.

erat. Fulgent. Mitholog. lib. I. *In hujus (Solis) etiam tutelam corvum ponunt, sive quod solus contra rerum naturam in mediis ipsis aestivis fervoribus oviparos pullulet foetus, sive etiam secundum Pindarum solus inter omnes aves significationes habet vocum:* praecipue cum in postremo nummo caput Domitiani Apollineo cultu ornati observetur. Si vero eidem Deo corvum tribuamus, non oleam, sed lauri thallum sub corvi pedibus agnoscamus necesse est; utraque arbor baccas profert, nec in tam minutulo icone alterutrum discerni potest.

L X X X V.

HAec Lucerna adeo elegantis artificii est, ut optimus gemmarum scalptor in hoc sphragismate aliquando lusisse videatur; Cererem elegantissimis vestibus, & peplo volitante ornatam hic cernimus, cujus caput spicis decoratur, dextera spicas, & papavera attollit, sinistra vero facem inclinat. Ejusdem Deae signum, quae dextra facem praeferebat, describit Pausanias in Arcadicis, de quo symbolo aliqua inferius dicenda sunt.

Papavera quoque Cereri ex veteri instituto attributa fuisse legimus una cum spicis. Theocrit. Idylio VII. in fine.

Utinam & ipsa (Ceres) rideat
Manipulos, & papavera utraque manu tenens.

Hujus symboli rationem adducit Servius in Georgic. I. vers. 78. *Ceres, Jove admonente, dicitur cibo papaveris, orbitatis oblita, & revera papaver gignit soporem, cum jam Proserpinam raptam a Plutone, ex inferno recipere non potuisset.* Et in eodem libro vers. 212. *Cereale papaver, vel quod est esui, sicut frumentum: vel quod Ceres usa est ad oblivionem doloris, nam ob raptum Proserpinae vigiliis gustato eo acta est in soporem: vel quia Myconem Atheniensem dilexerit Ceres, & transfiguratum in papaver tutelae suae jusserit reservari: vel quia pani aspergatur.*

Sunt qui Cererem, quia legiferam credebant, papavera gestasse dicant, quia haec ob ingentem seminum copiam intra sua quaeque spatiola consistentium quodammodo multitu-

titudinem populorum sua sorte contentam videantur imitari, quod observavit Phornutus de Natur. Deorum, ubi de Cerere verba facit: *Offerunt quoque illi papavera, nec id quoque temere, nam horum rotunditas, ac turbinatum illud terrae figuram sphaerae in morem rotundam esse significat, at inaequalitas illa valles, & humeros montium declarat. Verum interna hominibus, & subditis assimilantur. Porro cum innumera semina terra produxit ob frumenti copiam, a molesto illo, & semper in contentionem vocato victu desistebant; unde quoque leges quasdam sibi mutuo de his, quae ad terminos aliena discernentes spectabant, condiderunt, ac inter se divisis operibus non injuria dicebant sibi Cererem legum, atque aequitatis causam extitisse, sic quoque illam legislatricem appellant.*

Supposita lucerna geminas ejus faces perbelle vittatas exprimit, quibus succensis totum fere orbem percurrisse ejus initia decantabant. Illas eleganter describit Claudianus de raptu Prof. lib. 3.

Tollebant geminae capita inviolata cupressus
Cespite vicino, quales non rupibus Idae
Miratur Simois, quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeo credas, sic frondibus aequis
Adstant, & socio despectant vertice lucum.
Hae placuere faces. Pernix invadit utramque
Cincta sinus, exerta manus, armata bipenni,
Alternasque ferit, totisque obnixa trementes
Viribus impellit, pariter traxere ruinam,
Et pariter posuere comas, campoque recumbunt.

Has demum taedas in Aetnae caminis incendisse subdit.

Tum ne deficerent tantis erroribus ignes
Semper inocciduos, insopitosque manere
Jussit, & arcano perfudit robora succo.

Qui quidem arcanus succus ille idem, ut opinor, fuit, quo in Bacchicis sacris teste Livio lib. XXXIX. cap. 13. similes faces perfundebantur. *Matronas Baccharum habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasque in aquas faces, quia vivum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre.*

L X X X V I.

INter cetera antiquitatis veſtigia, quae avidiſſime a viris doctis colliguntur, non infimum locum obtinent tabellae fictiles, in quibus antiqui ſculptores anaglyptica ſtylo praeludia operum exprimebant, ne, ſi peccaſſent, in marmore mendum foret incorrigibile. Qua induſtria factum eſt, ut futurum opus emendaretur, antequam exiſteret. Quod etiam obſervarat Plinius lib. xxxv. cap. 12. dicens: *Ut nulla ſigna ſtatuaeve ſine argilla fierent*. Multae praeterea ex hiſce tabellis non autographae, ſed ectypae ſunt, quae nempe ex probatiſſimis exemplaribus excepto typo ad libitum multiplicabantur, ut earum ope parietes incruſtarentur, atque ſculpturam ſimularent. Inter illarum veſtigia, quae ad me delata ſunt, praeterire non debeo tabulae Iliacae fragmenta, bacchanalia plurima, larvas lepidiſſimas, & monſtra ſcitiſſime commenta, & praeſertim id monſtri alati figmentum, cujus lineamenta ex triplici bellua aptiſſime conjuncta coaleſcunt, nam plurimum de leone, multa de dracone, quaedam alia de capra ſumpta ſunt, praeſertim ſimus naſus, & cornua, ut quodammodo accenſeri poſſit monſtris illis, ex multiplici ſpecie coagmentatis in marmore Gruteriano pag. 766. num. 1.

Cum vero poſteriorem hujus anaglyphi partem deſideraremus, incertum profecto erat in quam formam deſineret; quum inciſis jam tabulis hujus operis, illiſque numeratis forte fortuna inter ceteras lucernas, quae mihi Roma miſſae ſunt, idipſum monſtrum integerrimum offendi, & ipſum membranaceis alis inſtructum, ſed quadrupes, quapropter illam, quae id monumentum mirifice illuſtraret, addendam curavi tab. cx.

Cogitanti mihi cuinam veterum commentorum id ſimulacrum tribuerem, occurrit facile Orthus canis, quem ex Typhone peperit Echidna apud Heſiodum in Theogonia.

Illa vero gravida facta peperit fortes filios
Orthum quidem primo peperit Gerioni.

Neque incongruum mihi videbatur canem hunc volucrem factum eſſe, tanquam qui a divinis progenitoribus origi-

nem ducebat ; ſed cum aliter moloſſus iſte nobis a mythologis deſcribatur, in aliam abii ſententiam, nempe chimeram repraeſentari, in qua trium animalium aſpectum deſcribit Homerus Iliad. Z; ubi inter Bellorophontis facinora monſtrum illud interfectum enumerat.

Primum quidem Chimeram inexpugnabilem juſſit
Interficere ; Haec autem erat divinum genus, non hominum
Ante leo, poſt autem draco, media autem capra
Ingentem ſpirans ignis vim ardentis.

Cui deſcriptioni conſonant ea, quae Heſiodus in Theogon., & Apollodorus Bibliothec. 2. de ipſa Chimera tradiderunt, & comprobant nummi apud Auguſtinum dialog. 5.

At quia ſculptorum induſtria ſaepe ſaepius a veterum fabularum rigore aberravit, ut gratiam, atque venuſtatem operibus ſuis conciliaret, non inepte exiſtimavi Romanum artificem e tricipiti illa imagine, utpote ab invenuſta abhorruiſſe, atque induſtrioſe trium animalium formam ſimul conciliatam unico animalis aſpectu collegiſſe, ut fabulam ſimul exprimeret, & induſtriam Romani ingenii oſtentaret.

Subjecimus in eadem tabula lucernam, in qua tropaeum Neptuni obſervatur, delphines nempe ſimul coeuntes ad tridentem attollendum, qui, ut Phurnutus ſcribit, illi Deo tribuebatur, *aut quia hoc utuntur in captura piſcium, aut quia id inſtrumentum ad terram movendam eſt aptum, nam ſic dicitur :*

Et ipſe Neptunus habens manibus tridentem prodiit,
Omnia enim fundamenta ſedibus ſuis movet.

Hic idem typus recurrebat in quatuor angulis pavimenti pulcherrimi muſivo opere adornati, quod ego anno 1725. inter rudera antiqui Fori Sempronii feliciter detexit ; ſed quia potiore ſui parte corruptum fuerat, praetermiſſum eſt. At contra accidit de proximi cubiculi pavimento, quod quum integrum reperiſſem me ſuadente ſolidum eruendum, & tollendum curavit Vir omni virtutum genere ornatiſſimus, mihique, dum vixit, benevolentia conjunctiſſimus Jo: Franciſcus comes Paſſioneus, in cujus ſplendidiſſimis aedibus iterum humi ſubſtratum obſervatur.

LXXXVII.

LXXXVII. & LXXXVIII.

SOlis protomes pectore tenus expressa, & quinis tantum radiis exornata obvia est in lucernis, quae forte ad Aureliani tempora referuntur, & ex quibus fere denas collegimus omnino similes, nisi quod diversarum officinarum subscriptione notantur. Cur vero constanter hunc radiorum numerum servarint antiqui, nulla ratione assequor. At contra cum numero duodenario constant, nam ad totidem coelestia signa, quae sol annuo motu percurrit, communiter refertur.

Totidem profecto sunt radii, quibus in hoc exiguo lychno caput Solis adornatur, si dimidiam partem, quae oculis apparet, duplicemus, totidemque erant, quos Rex Latinus originis suae a Sole deductae jactabundus circumferebat apud Virgil. Aeneid. XII. 161.

Interea Reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo invehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
Solis avi speciem &c.

Capillitium, quo hic adornatur, late diffluit ad vim suorum radiorum significandam, sive ad exprimendam incultam illam, ac hirtam formam, quo ventilati aurigae crines horride luxuriantur.

Altera lucerna ejusdem tabulae, ut & ea quae datur tab. LXXXVIII. imaginem Dianae venatricis repraesentat, utraque ex officina Eraclidis producta, quanquam incisoris incuria ERACLIO pro ERACLID., ut habet autographum, irrepserit. In prima decurrens jaculo, & arcu armata cum cane feram insequitur. In altera vero stans, manum capiti admovet, sagittam emisisse significans, quo gestu Apolinem Vaticanum expressum intuemur. Geminos praeterea canes adversum percussam feram emittit. Etiam Pausanias in Arcadicis Dianae venatricis simulacrum describens, illi adfuisse dicit, canem ex genere venaticorum, & Phurnutus de Natur. Deor. de Diana testatur. *Huic Deae canes sacros esse qui ad venatum accommodi sunt, ac ad*

custodiam, *& ad latratum*. Ejus vestis alte succincta est, qualem Ovid. describit Eleg. lib. III.

Talia pinguntur succinctae crura Dianae,

illamque bis succinctam nobis ostendit Claudianus.

Crispatur gemino vestis cortynia cinctu
Poplite fusa tenus.

L X X X I X.

OBvia est haec lucerna, nam in meo museo iterum, iterumque recurrit diversis figulinarum inscriptionibus insignita, quam ego laribus facile attribuerem, quibus, cum domorum defensores haberentur, canis custos tribuebatur, ut docet Ovidius Fastor. v. vers. 137., & seqq.

At canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quae standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant, & Lar, & turba Diania fures,
Pervigilantque canes, pervigilantque Lares.

Tribuebantur etiam canes Jovi custodi, ut diximus ad tab. XXX. vol. I.

X C.

INter antiqua fictilia sigilla, quae ad nostra haec tempora pervenerunt, maxima laus huic nostro danda est, non modo ob artis excellentiam, qua olim placuisse demonstrat vestigium antiquae subjectae inscriptionis, verum etiam ob sui integritatem nulla adhuc parte labefactatam, exponit vero nobis imaginem Veneris tunc cum Cupidinem edidit, qui infantulus, atque in sese contractus, nec dum incessui idoneus, peplo matris adhaeret. Tale fortasse fuit alterum Veneris simulacrum, quod describit Eliacor. priore Pausanias *Sedet ad Veneris pedes inauratus Pusio nudus*, *quem Carthaginensis elaboravit Boethus*. De Cupidinis vero ortu multi multa tradiderunt, nam Cicero lib. III. de Natura Deorum ex tribus Cupidinibus, quos enumerat,

merat, primum ex Mercurio & Diana, alterum ex Mercurio & Venere, ultimum ex Marte & alia Venere natum tradit. Hesiodus ex Chao & Terra, Orpheus item ex Chao, alii ex Nocte & Æthere, ex Lite & Zephyro, alii demum ex Lucina. At noster artifex communem Latinorum sententiam sequutus est, qui Cupidinem ex Venere procreatum credebant, quam sententiam potissime amplexatus est Phurnutus de Nat. Deor. cap. de Amore. *Quum bona eruditorum pars* hunc (amorem) *Venere prognatum esse tradiderint*.

Haec sigilla ultro citroque missitari, & dono dari solebant festis diebus, qui Saturnalia sequebantur, & ab iisdem sigillis, sigillaria vulgo audiebant, ut colligitur ex Ausonio Idylio xxvi.

Festa sigillorum nomine dicta colunt.

Et Macrobio Saturnal. lib. i. cap. x. *Saturnalia uno tantum die, idest quartodecima Kalendarum solita celebrari, sed in triduum propagata sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, & laetitiam religionis extendit: Nomen ex eo sigillaribus, quod ultro citroque sigilla sive imagunculas, & munuscula alia missitarent.* Inter haec vero sigilla ex omni metallo conflata, etiam fictilia locum habuisse constat ex Distico Martialis clxiv., & clxvi. lib. xiv., quo in loco Saturnaliorum munera enumerat; nam sive joco fieret, sive quod ea esset humiliorum fortuna, praecipue parentum in liberos ad haec fictilia recursus erat, quae semiobolari sumptu comparata tenuem ambitionem satis compescerent.

X C I.

Ipse Veneris natus, sive quispiam alius ex Geniis Veneris administris cycnum ei sacram complectitur, & ori admovet deosculaturus, nam, non secus ac columbae, cycni etiam sub tutela Veneris censebantur, ut illos currui junxerit apud Ovid. Metamorph. lib. x.

Illa quidem monuit, junctisque per aera cycnis
Carpit iter.

Etiam

Etiam Apollo alitem hanc ſibi vindicavit, Cicerone auctore primo Tuſculan. *Cycni non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo divinationem habere videantur, qua praevidentes quid in morte boni ſit, cum cantu, & voluptate moriuntur.* Hinc clari Poetae, in quibus vis Apollinis elucet, cycni appellantur. Virgil. Eglog. IX.

Vare tuum nomen . . . . . .
. . . .
Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.

Et Horatius de Pindaro Ode II. lib. IV.

Multa Dirceum levat aura cycnum.

Quippe cum morti proximi ſint, dulcius cantare dictitantur. Martialis lib. XIII. Epigram. LXXVII.

Dulcia defectu modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipſe ſui.

Neque a vero alienum eſt, hic Genium Jovis repraeſentari, qui cycnum, in quem ipſe converſus eſt, ut Leda potiretur, ſimulavit, quod ego probabilius credo cum cycnum videam, ita roſtrum Genio admovere, quemadmodum Ledae labiis approximat in ſculpturis, in quibus ea fabula exprimitur, praeſertim vero in admirando illo ſimulacro, quod Venetiis in veſtibulo Senatoriae bibliothecae aſſervatur. Idem typus occurrit etiam in pulcherrima muſei noſtri lucerna. Hyginus vero lib. II. non Ledam, ſed Nemeſim a Jove ſub cycni ſpecie compreſſam narrat, quae deinde exactis menſibus ovum enixa, Mercurius ſuſceptum in Ledae gremium detulit confovendum, unde Helena nata eſt, quam Leda uti filiam educavit.

X C I I.

DEbeo lucernam hanc ſingulari humanitati doctiſſimi & ornatiſſimi viri Jo: Ludovici Blanconii Sereniſſimi Principis Darmſtadienſis conſiliarii atque archiatri, qui quum bonis artibus amplificandis impenſe ſtudeat, hoc & aliis ſimilibus ornamentis e muſeo ſuo proditis collectionem meam, ut uberior prodiret, augendam curavit. In ea nexum Gratiarum intuemur, quas tres ex Jove, & Eu-

nomia

nomia natas memorat in earum hymno Orpheus, Aglajam nempe, Thaliam, & Euphrosinam, quarum imaginem huic nostrae respondentem graphice nobis objicit Fulgent. in Mytholog. lib. I. cap. de Venere. *Veneri etiam tres Charites adjiciunt, duas ad nos conversas, unam a nobis aversam, quod omnis gratia simplex eat, duplex redeat.* Quod etiam confirmat Phurnutus de Nat. Deor. cap. de Gratiis.

Video tamen sub hac eadem specie etiam Numina fontium expressa ab antiquis, praesertim in marmore Mazochiano pag. CV. tit. hac inscriptione subjecta

BATINIA
PRISCILLA
NIMPHIS
SACRVM

rursusque in alio apud Fabrett. Inscript. cap. VI. num. 5. cui aliud simile vidisse testatur Romae in Ædibus Vettoriis Pignorius suis ad Chartarium adnotationibus p. 229. Cur vero Gratiarum formam Nymphis aquarum tribuerint veteres, una mihi ratio occurrit, quod nempe hae fontium scaturigines tanta jucunditate, atque amoenitate polleant, eamque terrae afferant ubertatem, ut nullo alio aspectu commodius exprimi deberent, quam illo quo Gratiae pingerentur.

Quod vero in hac lucerna maxime notatu dignum occurrit, est ipsum officinae stigma, crucem ex globulis compositam referens, ut non inaniter suspicemur ex Christiani artificis manibus prodiisse; nam & aliae plures apud me asservantur, quae omnino Christianae sunt, & tamen ethnicorum symbolis, atque imaginibus adornantur, praesertim Victoriae, Herculis, Palladis, & Apollinis cytharoedi sive Orphei, quas omnes, cum per otium licebit, sua in sede collectas publicabimus. At multa sunt, quae artifices illos ab impietatis nota quodammodo excusent, in primis vero illae artium formae in omnium animis alte infixae, quae, quum de publicis operibus ageretur, in obsequium antiquitatis servabantur, animo licet repugnante, quod praecipue in Christianorum sacrophagis usitatum fuisse multiplici exemplo ostendimus in notis ad gemmam Pastoralem

inter

inter Astriferas publicatam. Praeterea signa illa symbolice ad animi virtutes significandas adhibebantur, cum jam explosa Gentilium superstitione despectui omnibus erant, & veluti Crucis tropea putabantur.

Fateor tamen ceteras, quas supra memoravi, lucernas non modo a stigmate, sed & ab ipsa forma ceteris caemeterialibus respondente inter Christianas asseri. At contra praesens ab illis recedit, atque ambitu suo, & artificio ethnicum stylum ostendit, quod in caussa fuit, ut inter illas collocaremus. Interim judicium de supposita cruce libenter differimus, cum alioqui monuerimus crucis signum usurpatum fuisse, tanquam monogramma conflatum ex litera T superposita litera I, ut in figulinae Pisaurensis sigillo, in qua Tiberii praenomen indicat.

Subjecimus huic lucernae fragmentum alterius, in qua Psyches expressa est, itemque vitreum ectypon, in quo ipsa Cupidinem complectens repraesentatur. Hanc sive fabulam, sive mythologiam appellemus, late descriptam habemus apud Apulejum, & quam propterea veluti tritissimam praemittimus.

X C I I I.

PRaeter Hyginum lib. II., & Apollodor. Biblioth. II. hanc fabulam recenset Servius in IV. Aeneid. per haec verba: *Hesperides Atlantis filiae secundum fabulam hortum habuerunt in quo erant aurea mala Veneri consecrata, quae Hercules ab Eurystheo missus, occiso pervigili dracone, sustulit:* & paucis interjectis: *Est & alia fabula, quum nuptiae Junonis celebrarentur, omnesque Dii in honorem ejus conferrent munera, Terra in extremis regionibus edidit arborem poma aurea ferentem. Haec cum decerperent Hesperides Atlantis sive Hesperi filiae custodes ejusdem arboris, Juno offensa spoliari munus suum in metum earum immisit draconem insomnem, qui omnibus noctibus, & diebus custodiebat ramos; hoc postmodum ab Hercule interempto, qui ab Eurystheo ad hoc missus fuerat, mala sublata sunt.* At Ovidius Metamorph. IV. ipsum draconem ab Atlante in hortis suis custodiae caussa collocatum refert,

audierat

audierat enim ex Oraculo Themidis Parnaſſiae aliquando arborem illam ſuis muneribus ſpoliatam iri.

Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc pradae titulum Jove natus habebit.
Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Moenibus, & vaſto dederat ſervanda draconi,
Arcebatque ſuis externos finibus omnes.

X C I V.

SUccedit alius Herculis labor cerva apud Mycenas ſubacta, tertius ex ejus laboribus, quem non modo in pulcherrima lucerna expreſſum habemus, ſed etiam in tegulae figulinari ſigillo, quod una in muſeo noſtro aſſervatur. Id facinus idem Apollodorus loco citato proſequitur. *Tertium vero facinus hoc illi gerendum imponit, ut cornutam cervam Mycenas vivam adferret. Erat enim ad Oenoen auratis cornibus inſignis cerva Dianae ſacra, quo circa Hercules, quod eam neque occidere, neque vulneribus afficere vellet, annum totum eſt inſecutus: Poſtea vero quam fera Herculis perſecutione laxatam ſe eſſe ſenſit, in Artemiſium montem confugit, & illinc ad Ladonem amnem, quem cum jamjam tranatura eſſet, ſagitta percuſſam cepit humeris ſublatam ferens, & per Arcadiam iter agebat, cui cum Apolline Diana ſimul obviam facta, cervam recepit, atque Herculem, quod ſacrum ſibi animal occidere voluiſſet, objurgavit, tum ille neceſſitate rei damnata Euryſtheum auctorem rei fuiſſe affirmavit, & placata Deae iracundia, feram vivam adhuc Mycenas importavit.*

X C V.

GEminae hae Lucernae, ejuſdem officinae opus, ſed diverſo typo expreſſae, Aprum Erymanthium repraeſentant, haud dubio indicio Herculeae clavae, quae priori ſuppoſita eſt, quaeque non ſinit illum cum Calidonio, aut alio quopiam, quem veterum ſcripta celebrarunt, confundere. Hunc Herculis laborem tetigit Ovidius Metamorph. IX. Herculem ita loquentem inducens:

Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mi
Arcadiae vastator aper.

Descripsit vero Apollodorus lib. II. *Quartum ei certamen imperavit Erymanthium aprum ad se vivum ferat. Haec autem fera Psophidem usque ab Erymantho monte prorumpebat .... Quem (aprum) e fruteto quodam ingenti cum clamore excitatum per altam nivem defessum, ac vinculis praeditum Mycenas invexit.*

X C V I.

ILlud in hoc opere ordinando nobis proposueramus, ut domestica tantum exhibentes ab alienis monumentis abstineremus. At forte fortuna cum hoc coemeteriale vitrum, quod Urbaniae in museo Matarotio asservatur, ad manus habuissem, illudque ad fidem prototypi propria manu diligentissime delineassem, hic inserendum censui, rem pergratam me facturum doctis viris existimans, si rem alioqui spectatu dignissimam vel extra propriam sedem vulgassem.

Multa sunt, quae id monumentum commendant. Praecipue quod diu Martyris sepulchro praefixum indicis loco steterit, quamquam ethnici artificii testimonium patentissimum praeseferat, signum Herculis. Id si animadvertisset meritissimus Marangonius, minime dubito futurum fuisse, ut illud inter ceteras res profanas usui sacro addictas, & quas mirifice illustrat, honorifice accenseret.

Artificium praeterea spirat equidem inferiorum temporum asperitatem, sed tamen diligentissimum est, atque elaboratissimum. Pictura, & lemmata tota ex auro constant, Orphiti latus clavus purpureus est, poma Herculis, inaures Constantiae, ejusque collare amethystini coloris sunt. Ejus monile purpureum, ut corallium imitetur, ex quo etiam constant minores globuli, quibus collare distinctum est. Quod quidem ornamentum ejus aevi matronis familiare fuisse ostendunt ejusmodi coemeteriales picturae apud Bonarotum tab. 18. 22. 23. & 24.

Illustratur praeterea ab hoc vitro res vestiaria; nam inde eruitur, qua forma constaret orarium, quo magnates sequio-

ſequioris aevi pectus adornabant, quum enim poſticam partem hujus velaminis nulla pictura nobis exhibeat, dubitabamus an per terga recurreret. Hinc vero cognoſcimus ultra pectus non proceſſiſſe, cum circa ſiniſtrum humerum in volumen deſinat, nec niſi ad mundiciem fuiſſe adhibitum.

Nobilitat cimelium inſcriptio geminorum conjugum Orphiti, & Conſtantiae. Orphitos multos memorant nobis omnes utique nobiliſſimos, & faſti Conſulares, & Jura Civilia, inter quae frequentiſſime S. C. Orphitianum memoramus. Quis interim illorum hic repraeſentetur, nulla omnino conjectura nobis ſuggerit.

Inſcriptio A CERENTINO FELICES BIBATIS latifundium aliquod, unde nobiliſſima haec familia vini generoſioris proventum traheret, ſignificat. Forte ab oppido Caere detorta derivatione Cerentinus ager dictus eſt. Fortaſſe etiam vinum id a Cerintho Beotiae urbe, quam Plinius memorat lib. 4. cap. 12., appellatum fuit.

Notandum maxime occurrit in hac pictura ſignum Herculis inter conjuges conſtituti, qui ſuppedanei loco craterem potorium habet, quae diſpoſitio alludit ad inſcriptionem IN NOMINE HERCULIS BIBATIS. Publicarat Bonarotus tab. 18. num. 1. fragmentum alterius lamellae, quae, ut opinor, manu ejuſdem artificis, qua haec praeſens, depicta eſt, nam mire conſonat cultus capitis mulieris, quam inter, & virum ex alio ſcypho aſſurgit vir barbatus, qui utrumque coronat; ex quo intelligimus, illi artifici familiare fuiſſe id parergon, nec inaniter ſapientiſſimus Illuſtrator dubitavit picturam illam ad ethnicos eſſe referendam; hanc vero ſuſpicionem utique illi confirmaſſet lamella praeſens, ſi vidiſſet aliquando in ea Herculem deſignatum. Invocatur vero Hercules in convivali acclamatione tanquam numen menſae praeſidens, unde Epitrapetius dictus eſt, de quo eſt epigramma Martialis 31. lib. IX., ex quo apparet Herculis ſigilla in menſa apponi conſueviſſe. Horum plurima ex agro Tuderte eruta in Muſeo noſtro aſſervantur.

Cujus leva calet robore, dextra mero.

qua ſcyphum ſuſtinet, ex quo conjecimus imagunculas haſce ita fuiſſe concinnatas, ut in menſis diſpoſitae inter Lares, & Genios haberentur, quod quidem argumentum pluribus pertractavimus in diſſertatione de Diis Tudertium, quae Notas in ejus urbis marmora ſubſequetur.

Sane multo plura ad hujus picturae ornatum dicenda forent, quae, ne propoſitam brevitatem tranſgrediamur, conſulto omittimus, ea omnia reſervantes clariſſimo, ac nobili Matarotio cimelii poſſeſſori, qui hoc, & pleraque lectiſſimi Muſei ſui ornamenta pro ea, qua pollet doctrina, atque eruditione luculentiſſime illuſtrare poterit.

X C V I I.

MErcurii caput, quod in hac lucerna, & in alterius fragmento conſpicitur alato petaſo inſignitum, nihil plane novi affert, niſi quod in poſtremo etiam bulla ad collum ſuſpenſa exornatur. Id inſigne profert etiam in integra lucerna, ex qua forte id fragmentum ſupereſt apud Bellorium parte II. 17., cujus ornamenti nulla alia ratio aſſignari poteſt, niſi quod veteres haec inſignia Deorum ſuorum ſimulacris, quibus auguſtiora viderentur, aſſignarint, ut notavit Bonarotus ad Dempſterum.

Aries in duplici lucerna conſpicitur, quarum ultima inter innumera veterum vaſculorum fragmenta, domi meae ſub ipſo cellae vinariae ingreſſu, inventa eſt. Id ſymbolum ad Mercurium pertinet, quod ipſe armentorum cuſtos haberetur, ut illum *cuſtodem ovium* appellavit Homerus in Iliade. Hoc vero ejus attributum manifeſtiſſime prodidit Pauſanias in Corinth. *Rurſus in via, qua ad Lechaeum iter recta eſt, Mercurius ex aere ſedens viſitur, cui adſiſtit aries, quod unus prae ceteris Mercurius greges tueri, & augere exiſtimatur, ut Homerus in Iliade ſignificat.*

Hic tibi natus erat pecoris ditiſſime Phorba,
Quem ſibi prae cunctis carum Cyllenia proles
Ditarat Teucris.

Idem quoque in Eliacis, & rurſus in Meſſeniacis Mercurii ſimulacra deſcribit arietem portantia.

Cete-

Ceterum hae lucernae cum arietis ſigno ſatis obviae ſunt, & multiplices apud me inveniuntur, quia cum Mercurius animarum deductor haberetur, omnia ejus ſymbola ſepulchralibus lucernis conveniebant.

X C V I I I.

MAnus invicem junctae caduceum ſtringentes pro concordiae ſymbolo habentur. Ejus rei rationem ita exponit Plinius lib. XXIX. cap. 3. *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia cauſa videtur eſſe, quare exterae gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie anguium fecerint.* Hujus vero originem his deſcribit Hyginus Aſtronom. lib. II. cap. VIII. *Ab Apolline virgulam quandam munere accepit Mercurius, quam manu tenens, cum proficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos dracones inter ſe conjuncto corpore alium appetere, ut qui dimicare inter ſe viderentur, virgulam inter utrumque projecit: itaque diſceſſerunt, quo facto eam virgulam pacis cauſa dicit eſſe conſtitutam: nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis.*

Cur vero caduceus Mercurio tribuatur, cauſam adducit Fulgentius in Mythologico. *Virgam vero ſerpentibus nexam* [*Mercurio*] *ob hoc adjiciunt, quod mercatoribus det aliquando regnum, ut ſceptrum, & vulnus, ut ſerpentium.* Phurnutus vero aliam rationem ſubdit, quod nempe nuncius haberetur. *At anguium circa virgam complexus caduceatoris typum gerens, innuit efferatori ipſi concordiam fieri, ac illum inter eos ortum diſſidium, indiſſolubili nodo conjungere, ſiquidem per id etiam pacificum apparet eſſe praeconium.*

Manus ſimul conſertae communiſſimum concordiae ſymbolum facile ſignificant, caduceatoris officium in eo verſari, ut diſſidentes homines in unum convenirent, & data dextera amicitias jungerent. Hinc eſt quod caduceus explicat nobis nuncii officium, manus vero conjunctae legationis finem, atque effectum.

XCIX.

X C I X.

PRoferimus fragmentum vasculi ex alabastro, in quo Bacchus cernitur curriculo insidens, satyro subsequente. Hujus sculpturae maxima est elegantia, vix enim quidquam pulchrius observari potest, praesertim cum haec simulacra non anaglypha, sed alte excisa sint. Area vero, unde vasis corpus constabat, tantae tenuitatis est, ut artifex non marmor coelandum, sed metallum ducendum sibi proposuisse videatur.

Lucerna, quae marmori subjecta est, geminos uvae racemos ex uno eodemque palmite dependentes, cujusmodi in cellariis suspendi solent, ut diutius serventur, ostendit. Has pensiles vocat Plinius lib. XV. XVII., ubi plures modos uvae conservandae recenset: *Sunt, qui suspendi procul malis, protinusque in granariis jubeant, quoniam optime sit operimento pulvis pensilibus.* Has inter severioris vitae delicias recenset Horatius Sat. II. lib. II. vers. 121.

. . . . tum pensilis uva secundas,
Et nux ornabat mensas cum duplice fico.

Quia vero uvae inter bellaria, & Saturnaliorum munuscula censebantur, ideo in lucernis exprimi meruerunt. Alia nuper lucerna ad me missa est, quae huc quoque referri potest, in qua sportula effìcta est uvis redundans, unde pulli hinc inde pedibus alligati dependent.

C

INter Herculis fortiter gesta connumeratur Nessus centaurus ab illo occisus, quod Deianiram in transitu fluminis Eueni vitiare tentasset. Fabulam narrat Ovidius Metamorph. IX.

Nessus Bacchicum thyrsum extollit; hinc putaret aliquis hanc lucernam ad bacchanalem pompam pertinere, in eaque exprimi centaurum e Bacchi choro Baccham humeris deportantem. Praecipue cum in gemma apud Bonarotum ad triumphum Bacchi pag. 436. idem typus ipsissimus, qui in hac lucerna expressus est, adamussim recurrat,

in

in qua tamen gemma Baccham indubitanter recognoſcimus ob inſigne cymbali, quod ſiniſtra attollit, ut minime dubitem hujus lucernae artificem eandem gemmae imaginem prae oculis habuiſſe. Sed quia id unum ſymbolum figulus praetermiſit, valde dubito jure ne Herculi ademptam Baccho tribuamus, praecipue cum centauri, ob antiquam cum Baccho affinitatem, quam multis exornat eo loco Bonarotius, etiam extra Bacchi pompam, veluti perpetuum inſigne, thyrſum geſtarent. Placuit vero utramque de hac lucerna opinionem prodidiſſe. Judicium penes eruditos eſto.

C I.

EXimium marmor ſurſum deorſum inverſum diu ignotum ſtetit ad fores Eccleſiae D. Caroli ſub Silicata, nam ima ſui parte exciſo alveolo, & converſa ad parietem ſculptura in uſum aquae luſtralis deſervit. Prodierat fortaſſe ex finitimo ſepulcro, cujus ingentes ruinae adhuc ſuperſunt, e cujus ſpoliis Eccleſia aedificata eſt. Neglecta circumjacebant plura anaghlyphi operis marmorea veſtigia, quae cum hoc cippo collecta in aedes meas tranſtuli.

Hujuſmodi quadrati lapides Deorum inſignibus adornati communiter inter aras recenſentur. Si vero ſub hoc nomine intelligamus inſtrumenta illa religionis, ſuper quae excitato igne thura, & victimae adolebantur, hujuſmodi ſaxa nullatenus in hoc cenſu computari valent, quippe quae nullum ignis veſtigium ſervant. Itaque inter ſtatuarum baſes recenſendae ſunt.

Haec tamen noſtra, quum ſub coronide geminas in lateribus cicatrices habeat, in quibus infuſo plumbo ferrea vincula firmarentur, facile in ſepulcro addicta fuerat ad urnam cinerum ſuſtinendam. Nam in ſepulchris, in quibus nec gradus, nec loculi conſtructi eſſent, ne urnae humi collocarentur, ſuper haſce baſes, ſeu columellas attolli ſolebant, atque ſuper illas ferro obfirmari. Harum una, quae publicata fuit numero LXII. inter Marmora Piſaurenſia, apud me aſſervatur.

Solebant vero baſes iſtae inſcriptione, ſeu parergis convenien-

venientibus adornari, inter quae Bacchi Orgia potissime in usu erant, uti quae ad animarum expiationem conferre maxime putabantur, cui superstitioni allusit hujus marmoris sculptor, qui Baccham tripudiantem discincto pectore, & vittato thyrso munitam in illo figuravit.

Saepe miratus sum in Bacchicis anaglyphis feminarum potius, quam virorum rationem haberi, ut pene videatur imbellis sexus in hisce mysteriis primum locum obtinuisse, at hujus moris rationem explicat nobis Livius lib. XXXIX. cap. XIII., ubi Bacchanalia tradit *primo sacrarium feminarum fuisse, nec quemquam virum eo admitti solitum*.

C I I.

OPtimum artificem redolet haec lucerna, in qua tigris adeo diligenter expressa est, ut in villosa pelle vario styli ductu etiam maculas indicaverit. Haec animalia ad Bacchum pertinebant, ut pluribus observavit Bonarotus ad triumphum Bacchi pag. 437. Hinc Virgilius Eglog. V. sub Daphnidis nomine Augustum laudans, quod Orgia Bacchi toties rejecta Romae restituerit, ait.

Daphnis & Armenias curru subjungere tigres
Instituit, Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Belluas hasce Phurnutus de Natura Deor. Pardales appellat. *Deinde Pardales Dionysio subjungunt, atque illum sequi inducunt, sive ob coloris varietatem, ita ut etiam ipse, & Bacchae nebride induantur, aut quod asperrimi etiam mores temperamento vini mansuescant.* Putant etiam id animal Baccho dicatum esse, quod vini appetentissimum habeatur.

C I I I.

ADeo frequentes sunt lucernae hoc eodem typo exornatae, ut ex illis fere quinquagenas in meo Museo enumerem, & quod mirum videbitur, plerumque ex diversis officinis eductas, quarum aliquas subscriptiones in eadem tabula describendas curavi. Hinc cognoscimus hanc lucer-

lucernae formam in maxima religione fuiſſe habitam, ut tam multipliciter, atque frequenter renovaretur; quapropter conjicio ex illis fuiſſe, ex quibus areae bacchanales noctu illuminabantur. Id enim tempus occultandis facinoribus opportunum ad ea ſollemnia conſtitutum erat. Virgil. Aeneid. IV. 302.

Qualis commotis excita ſacris
Thyas ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cythaeron.

Haec ſacra interdiu olim Romae fiebant, at teſte Livio lib. XXXIX. cap. 13. Paculla Minia Campana ex diurnis nocturna fecit, in quo Graecorum morem imitata eſt, apud quos Bacchus Nyctelius etiam dictus eſt, quod noctu coli gauderet. At quanquam ob foeditatem aliquando ſublata eſſent, iterum Romae invaluere in tantum, ut ſub Imperatoribus Romam miſere inundarint.

Ornant in hac lucerna pampineam coronam geminae tigrides potantes ex cantharo, ſub quarum imagine Bacchas ipſas adumbrabant.

Inter ſtigmata lucernarum, quae in hac tabula ſubdidimus, duo praecipue ſpectanda ſunt ſub num. XIX. & XX., in quibus nonnullae literulae loco ſuo motae, & veluti diffluentes obſervantur, haud dubio teſtimonio inſcriptiones haſce non ſolido ſigillo, ſed ex mobilibus literis ſimul ordinatis compoſito conſtitiſſe, ut pene cognoſcamus etiam antiquos uſum habuiſſe characterum typographicorum, illoſque ad haec lemmata notanda adhibuiſſe, ut etiam monuimus in prolegomenis, nec tamen malo literarum fato ad libros excudendos perveniſſe. Quidni? ex campanarum inſcriptionibus, quae decimo, atque undecimo ſeculo, & deinceps flatae ſunt, manifeſte apparet perpetuo manſiſſe in Italia uſum ſingularium characterum, quos ſingillatim in campanae forma imprimebant, donec lemma componerent, quod ego exceptis humido papyro inſcriptionibus, in quibus ſinguli margines, quot eſſent, literae apparebat, comperi. At laudem hujus artis proripuit nobis Germania, quae tentamina noſtra praetergreſſa, libros integros docuit imprimere.

C I V.

INter multiplices lucernas pampiniferas, de quibus ſupra mentionem habuimus, placuit hanc ſeligere, in qua praeter aliarum modum artifex luxuriatus eſt, nam inſeruit vitibus geminos leonum rictus, qui inter Bacchi ornamenta accenſiti ſunt, ut praecipue apparet ex admirandi operis ſarcophago Volſinienſi, quem lib. IV. antiquitatum illius urbis publicavit eruditus Adamius, in quo integrum Bacchi chorum claudunt hinc inde gemina leonum capita ſcitiſſime exciſa.

C V.

LArvas fictiles plurimas ex vaſculorum, & lucernarum fragmentis ſuperſtites & Romae & extra collegimus, quippe quae artificum ingenium & miram foecunditatem oſtendunt. Harum nonnullas inter parerga hujus libri publicavimus; alias inſuper ad ornatum hujus tabulae cumulavimus, quippe quae ad bacchanalia quodammodo pertinent, quamquam praecipuus illarum uſus eſſet in ſcena, atque in funeribus, in quibus perſonati defunctum, atque illius geſta imitabantur, ut colligitur ex Svetonio in Veſpaſiano cap. XIX., & Herodian. lib. IV. cap. 2. Hae vero non ita deformes erant, veluti quae ad vivum defuncti lineamenta repraeſentarent. At contra quae in ſcena adhibebantur, tetro & patulo ore ad terrorem uſque deformabantur, ut vox veluti per buccinam propagata latius intonaret; quo reſpicit illud Juvenalis Satyr. III. 175.

. . . . perſonae pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Inter fictiles larvas addidimus & cryſtallinam ob formae novitatem, ſed Bacchicis myſteriis apprime conſonam, quippe quae in pampini modum efformata eſt.

CVI.

C V I.

OPus hujus lucernae minime Romanum videtur, nam argilla purpurei coloris est, quemadmodum & Cumana, ex qua constant omnes fere lucernae canaliculatae. Bacchi barbati caput aliquid etiam Campanae religionis praesefert, talis enim apud ipsos colebatur Ebon nomine. Sic de illo Macrobius Satur. lib. I. cap. XVIII. *Item Liberi Patris simulacra partim puerili ętate, partim juvenili fingunt: praeterea barbata specie, senili quoque, uti Graeci ejus, quem Bacchapæan, item quem Brissea appellant: & ut in Campania Neapolitani celebrant Ebona nominantes.*

Talem etiam fuisse tradunt, quem Saron nomine Indi venerabantur ex Amone, & Amalthea genitum barbata specie, sed nullibi magis frequentius sub tali aspectu occurrit, quam in Thuscorum picturis, quae praesertim circa Neapolim eruuntur.

Ejus caput taenia, seu mitra unde ΜΙΤΡΗΦΟΡΟΣ a Dionysio vocatus est. Eodem quoque cognomine appellatur a Diodoro, atque Orpheo in hymnis, de quo ornamento Propertius lib. IV. II.

Cinge caput nitra, speciem furabor Jacchi.

Cujus rationem ex Diodoro affert Eusebius de praeparatione Evangelica lib. II. *Mitra quidem revinctum illum caput habuisse ferunt adversus acutos capitis dolores, quos ex immoderato vini haustu pateretur.* Hanc tamen mitram eleganter exornant hinc inde corymbi supra tempora appositi; capilli vero cirrati dependent, cujusmodi in Etruscorum picturis frequenter habere ostendit.

Addidimus geminas Baccharum protomes diligentissime exculptas ex alabastro fere semipedali altitudine. Saepe miratus sum has veluti personas, quae modo Bacchum senem, aliquando juvenem, & Bacchas omnigeno capitis cultu exornatas referunt in museis reperiri, universas ex eodem ipso marmore, quod carneum colorem quodammodo imitatur, confectae, semper ejusdem molis, & ut videtur, etiam artificii. Multa ex iis in meo Museo, multa insuper in Arditio, demum & in Oliverio conservantur.

Quod ad me attinet non dubito inter templorum donaria esse referenda. Ipsam vero materiam, ex qua omnes perpetuo constant, aliquid religionis vel a loco, unde excideretur, habuisse credendum est, vel quia signum aliquod superstitione celebratissimum ex eo marmore constaret, quod ista haec oscilla imitarentur. Percelebris etiam est ritus ille, quo in Bacchi honorem hae personae ex arboribus suspendebantur.

Et te Bacche vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Ingens quoque suspicio mihi suborta est, ut, quemadmodum initiati in Mithriacis monumenta quaedam marmorea suae expiationis in spaelaeis affigebant, ut praecipue constat ex monumento taurobolico Oliveriano; ita viri, atque feminae, quae Orgiis nomen darent, viriles illas, seu femineas species marmoreas singuli singulas dedicarent, ut accepti initii testimonio essent.

C V I I.

GOrgones truci terribilique aspectu, quod earum nomen notat, finxerunt plerumque Etrusci, & exerta lingua, cujus rationem adducit Phurnutus de Natur. Deorum cap. de Minerva. *At in ipsa aegide caput est Gorgonis in medio Deae pectore linguam exerens, quod nimirum in omni rerum administratione praecipuum, atque praestantissimum sit ratio.* Latini vero sub dolentis quidem, & jam deficientis imagine expressam voluerunt. Imo aliquando solis aliis ejus capiti additis, horrorem illum draconum capiti circumvolutorum praetermiserunt, ut in hac lucerna.

Addidimus marmoreae Gorgonis protomen sesquipede altam, quam in vestibulo aedium nostrarum inter cetera marmorea monumenta suffiximus elegantissimo artificio expolitam. Quae fortasse ex urnae alicujus fragmentis delecta est.

C V I I I.

HAeċ Genii imago ceteris apprime respondet, quas in nummeris tertii, & quarti seculi intuemur. Modio, & cornu fructibus redundante adornatur, quod ejus numine & terra hominibus alimenta subministraret, & vita simul omnibus & daretur, & servaretur. Lucernae gyrum ornant racemi, quibus potissime Genio litabant, quod praecipue comprobant picturae Etruscorum, ut enim constat ex Varrone, & Censorino Genius praesertim natali die sine hostia placabatur, ne quo tempore quis vitam acceperat, aliis adimeret, ut etiam notavit Fabrettus in Inscription. cap. v. num. 12.

Genium praeterea, sed alatum refert vitrea lamella bicolor musei nostri, cujus fragmentum lucernae subjecimus.

C I X.

COmmendat hanc lucernam moles prae ceteris insignis, elegantia styli, & Graeca subscriptio, quam tamen dolemus ad nos corruptam pervenisse. Hanc illustrat Ammiani Marcellini locus ex lib. xxv. cap. 2. ubi refert Juliano Imperatori obscura nocte in Galliis Genium publicum apparuisse cum copiae cornu, & velato capite, qualem hic intuemur, licet plerumque nudo capite nobis occurrat. Haec vero caeremonia obnubendi capitis solemnis erat sacrificantibus, qui palii laciniam supra caput inducebant, ut speciem omnem averterent, quae intentum religioni animum perturbaret, ut saepissime dictum est, praecipue vero superiore libro ad tab. 4.

Assurgit prope Genium focus, in quem ille ex patera, primitias invergit, quemadmodum servari consuevisse docet Censorinus de Die Natali cap. 11. *Illud etiam in hoc die observandum, quod Genio factum neminem oporteat ante gustare, quam eum, qui fecerit:* de quo videnda, quae collegimus in differt. de Cultu Genii.

Serpens, qui arae advolvitur, ipsius Genii imago est, sub qua specie Anchisae tumulum placide circumplexus est, quod

quod etiam notavit Iſidorus lib. XII. 4. *Angues apud Gentiles pro Geniis locorum erant.* Etiam in antiquo marmore apud Pignorium in Not. ad Cartar. Genius in pulvinari recumbit appoſitis contra epulis, ad quas depaſcendas ſerpens aſſurgit. Id enim animal quum vivaciſſimum ſit, atque longaevum, nullamque aegritudinem ſentiat, niſi quam deponat cum corio, Genio vitae praeſidi jungebatur, ut ad illius ſimilitudinem homines, qui Genio ſubeſſent, diu incolumes viverent.

C X.

LUcernam hanc ſero ad nos delatam extra ordinem collocavimus. De illa vero pauca a nobis dicta ſunt in notis ad tab. LXXXVI.

INDEX TABULARUM.

Roma sedens Tab. I.
Roma globum a Victoria suscipiens T. II.
Romulus, & Remus a lupa lactati T. III.
Ficus Ruminalis T. IV.
Gladiatoris caput T. V.
Gladiator T. VI.
Gladiatores T. VII.
Myrmillones se se componentes T. VIII.
Venatoris Caput T. IX.
Pueri venantes T. X.
Venatio amphiteatralis T. XI.
Elephas T. XII.
Βουκολεῖον T. XIII., & XIV.
Leo & crocodilus T. XV.
Ursus & draco T. XVI.
Leo & aper T. XVII.
Bestiarius ferocem taurum sistens T. XVIII.
Tibicen canens T. XIX.
Simia ludens T. XX.
Mimus tibiis canens T. XXI.
Pugil T. XXII.
Pugiles decertantes T. XXIII.
Discobulus T. XXIV.
Cymbalistae T. XXV.
Circus T. XXVI.
Quadrigarius Victor cum duplici palma T. XXVII.
Quadrigarius cum palmatis equis. T. XXVIII.
Equi decurrentes T. XXIX.
Equus circensis cum urna T. XXX. & XXXI.
Biga cum binis agitatoribus T. XXXII.
Victoria bigam agens T. XXXIII.
Victoria gradiens T. XXXIV.
Maximiani caput T. XXXV.
Geminorum Augustorum protomes T. XXXVI.
Consules sub conopoeo T. XXXVII.
Imperator togatus T. XXXVIII.
Fasces sella curulis T. XXXIX.
Thensa T. XL.
Corona scenica T. XLI.
Geminae coronae cum palmis T. XLII.
Coronae Querna, Oleagina T. XLIII.
Janua inter cupressus T. XLIV.
Janua sepulchralis Geniis adstantibus T. XLV.
Genii urnam coronantes T. XLVI.
Genii maerentes T. XLVII.
Ara inter cupressus T. XLVIII.
Acclamatio T. XLIX.
Vasa Sacrificalia T. L.
Vasa Funebria T. LI.

Genii aram ignitam custodientes T. LII.
Genius caprum marinum fraenans T. LIII.
Ara sepulchralis T. LIV.
Victorię clypeum attollentes T. LV.
Curule certamen T. LVI.
Apotheosis T. LVII.
Imperatoris caput T. LVIII.
Aquila arae insidens T. LIX. LX.
Pavo arę insistens T. LXI.
Matronę protomes T. LXII.
Caput Serapidis T. LXIII. LXIV. LXV.
Vascula Serapidem referentia T. LXVI. LXVII.
Serapidis & Isidis protomes T. LXVIII. LXIX.
Serapis in serpentem desinens T. LXX.
Caput Serapidis & Isidis turritum T. LXXI.
Isidis imagunculae in Lucernarum manubriis T. LXXII.
Serapis throno insidens T. LXXIII. LXXIV.
Sphinx T. LXXV.
Hecate triformis T. LXXVI. LXXVII. LXXVIII.
Isidis navigium T. LXXIX.
Lucernae Ægyptiis imaginibus obsignatae T. LXXX. LXXXI.
Juppiter ab aquila elatus T. LXXXII.
Pavo in lucerna bilychni T. LXXXIII.
Palladis simulacrum T. LXXXIV.
Ceres T. LXXXV.
Hircus alatus T. LXXXVI.
Caput Solis, & Diana Venatrix T. LXXXVII. LXXXVIII.
Canis latrans T. LXXXIX.
Veneris simulacrum T. XC.
Genius Veneris T. XCI.
Nexus Gratiarum T. XCII.
Herculis labores T. XCIII. XCIV.
Aper erymanthius T. XCV.
Senator & matrona in vitro coemeteriali T. XCVI.
Mercurii caput T. XCVII.
Caduceus T. XCVIII.
Bacchus curru vectus T. XCIX.
Nessus Dejaniram vectans T. C.
Baccha in cippo marmoreo T. CI.
Tigris bacchica T. CII.
Corona pampinea T. CIII. CIV.
Larvae T. CV.
Baccus barbatus T. CVI.
Medusae caput T. CVII.
Genius domesticus T. CVIII.
Genius ad aram sacrificans T. CIX.
Orthus canis T. CX.

IN-

INDEX RERUM.

Numeri Romani Dissertationis paginas indicant; Arabici vero notarum.

A

Acclamatio sepulchralis quae. 70. 71.
Acerra, & ejus usus in funeribus. 77.
Aegyptia Numina in navigiis. 112.
Agonothetæ, & eorum suggestus. IX.
Ampulla vitrea circi imaginem exprimens I. II.
Ampullae sepulchrales cum notis officinae vitriariae Pisauri repertae. I. II.
Alteram nuper defossa in calce hujus indicis extra ordinem exprimi curavimus.
Animalia varii generis in amphitheatro exhibita. 21.
Animalium Infernorum simulacra Diis oblata. 107.
Animarum processus per marinas belluas exprimi solitus. 83.
Anubis in lucernæ. 113. 114.
Aper, & Leo commissi in spectaculo. 22.
Apis in sacro navigio. 112.
Apotheosis quomodo expressa. 87.
Aqua lustralis in funeribus quae. 71.
Aquila in funeribus quid significet. 88. 90.
Aquiminalis forma. 71.
Ara inter cupressos. 90. *Vide Cupressus.*
Arbores sacrae in stadiis virentes ad coronas. V.
Aries cur Mercurio sacer. 132.
Armarium ad vasa continenda, & ejus forma. 77.
Aspergillum in sacris funebribus. 78.
Athletarum nomina sortito educta. 12.

B

Baccha furens in ara incisa. 135.
Bacchanalia noctu agitata. 137.
Baccharum protomes ex alabastro multiplices. 139.
Bacchicis initiati oscilla offerebant. 140.
Bacchus curriculo vectus ex alabastro. 134.
Bacchus barbatus apud Campanos, & Indos. 139.

C

Cadi fictiles in sepulchris. 79. 80.
Caducei origo, & fabula. 133.
Coena funebris in lucerna. 76.
Canis custos in lucernis. 124.
Centaurus Baccham vehens. 134., & 135.
Cerentinum vinum. 131.
Ceres cum spicis, & papaveribus. 119.
Ceroma in spectaculis adhibitum. 12.
Certamen curule in funeribus. 86.
Cestophorus in lucerna. 28.
Cestuum imago in nummis. ibid.
Cestuum spectacula exhibita. 27.
Christianorum in sepulchris Aethnicorum imagines. 127. 128.
Circensium habitus descriptus. 36.
Cineraria arulis imposita. 135. 136.
Cintus Gabinus, & ejus forma. 48.
Circi partes, illarumque mysticae significationes. IV. V., & 33.
Expressae in ampulla vitrea. II.
Clava Herculis indicium. 40. 129.
Clypaei in venationibus adhibiti. 18.
Clypaei honorarii in sepulchris. 84. 85.
Columnae sessiae, & messiae in stadiis. VII. 34.
Conopaeum in spectaculis attributum editoribus quale. 49.
Consecratio feminarum per pavonem expressa. 90. 91. 92.
Coronae sine nodo aeternitatis symbolum. 6.
Sine lemnicis. 42. 43.
Querna novis consulibus data. 51. 52. 61.
Scenica Histrionibus attributa. 56.
Geminae geminis Imperatoribus datae in lucerna. 59.
Palmis conjunctae. ibid.
Martyribus cum palmis datae. 59. 60.
Mortuis concessae. 60.
Oleaginae. 61.
Mirtheae. 62.
Pampineae. 137. 138.
Corvus Palladi sacer. 118.
Crocodilus cum leone pugnans in amphitheatro. 21.
Crupellariorum armatura. 13.
Cupido cycnum complectens. 125.
Cupressi in sepulchris. 63. 69. 70.
Currus triumphalis, & ejus forma. 56.
Cymbala qualia, & eorum usus in sacris. 32.

D

Decursiones a novis magistratibus aeditae. 41.
Defunctorum insignia ostentata in funeribus. 51.
Deorum capita lucernarum manubriis adjecta. 45.
Diana venatrix cum canibus. 123.
Dii Ægyptiorum cur ferino aspectu expressi. 115.
Dii cum Deabus comparibus in lectisterniis. 115. 116.
Diocletianus, & Maximianus in lucerna. 45.
Discus, & ejus forma, & amplitudo, ejusque jactandi ratio. 31. 32.
Dolabra, & secespita in funeribus adhibitae. 77. 78.
Domitiani officina lucernaria. 50.
Domitianus in lucerna. 50.
Dracones in amphitheatro. 22.

E

Elephantes in bello apud Romanos. 18.
Exhibiti in amphitheatro. 18.
Commissi cum rhinocerote. 19.
Equi Circenses cum pectoralibus. 37.
Palmis donati. 39.
Eorum decursiones in lucernis. 38.

F

Faces in funeribus. 81.
Cur Cereri sacrae. 120.
Factiones Circensium, & illarum significatio. X. XI.
Ficus ruminalis ejusque religio. 6. 7.
Cur sic appellata. 9.

G

Galea antrorsum clausa apud antiquos. 14.
Geniorum natura juxta Aethnicos. 2.
Genii urbium pro Diis habiti. 1. 2.
Genius Jovis cycnum complectens. 126.
Genius domesticus capite velato. 141.
Primitiae illi oblatae. 141.
Serpens ejus symbolum. 141.
Genii mortuorum quomodo expressi. 64.
Numero plures. 64. 65.
Quo habitu expressi. 65.
Cur frigio indumento ornati. 69.
Mortuis omnia officia exolvunt. 66. 84. 85.
Urnam coronant. 65.
Januam sepulchri custodiunt. 64
Serta suspendunt. 66.
Facem sustollunt. 68.
Facem extinguunt. 66. 67. 68.
Moerentes. 67.
Aram funebrem servant. 82.
Marinis beluis inequitant. 83.
Gladiatorum habitus, & factiones clypaeorum forma distinctae. 10. 11.
Eorum dona. ibid.
Antiquitas, & origo apud Romanos. 8. 9. 10.
Quando sublati. 10.
Pinnarum cultu distincti.
Gorgon multipliciter efficta. 140.
Gratiae, & eorum nomina. 126. 127.
Nimphae fontium sub earum aspectu expressae. ibid.
Gutti sepulchrales, & eorum usus, & inscriptiones. III. 78. 79.
Alter nuper effossus in Capriliensi in fine hujus indicis collocatur.

H

Hecate triformis, ejusque triplex aspectus, & symbola late explicata. 107. 108. 109. 110.
Hecatea spectra qualia in sepulchris. 51.
Hercules, & Haebe in biga. 40.
Draconem conficiens. 128.
Cervam domans. 129.
Aprum Erimantium perdens. 129.
Pomarius. 130.
Mensae, & potationis praesens. 131.
Histrionum corona, & ejus forma a ceteris differens. 57. 58.

I

Janua in sepulchris exculpta, & ejus significatio. 62. 63.
Ibis in lucerna. 114. 115.
Insignia Consularia in lucerna. 51. 52.
Imperatores in lucernis expressi.
Maximianus. 42.
Diocletianus, & Maximianus. 45.
Domitianus. 50.
Ignotus, fortasse unus ex Antoninis. 87.
Jovis templum prope stadium Pisauri. V.
Jovis genium cycnum complectens. 126.
Isauri fluminis ethimologia reprobata. 98.
Isis in lucerna. 114.
Cum Serapide conjuncta. 100., & 101.
Ejus imago. 97.
Quale Numen. 101. 102.
Cur turrita. 102.
Jupiter ab aquila elatus.
Consecrationis symbolum. 116.

L

Lanceae venatorum militaribus ampliores. 75.
Aliquando dentatae. ibid.
Lantius Cardinalis amplissimus academiae Pisaurensis restaurator. XII., & seqq.
Ejus imago marmorea solemni ritu Pisauri in palatio dedicata. ibid.
Hymnus in ejus laudem dictus. ibid.
Larvae scaenicae ore patulo bacchanales clausae. 138.
Lectisternium, & ejus forma, & ratio. 75.
Lemnisci a quibus ad coronas expetiti. 42.
Additi, vel detracti a coronis. 58.
Leones Baccho sacri. 138.
Saepe in theatro confecti. 17.
Exhibiti etiam in municipiis. 18.
Cum bovibus feris commissi. 19. 20.
Lorarii equi exteriores. 37.
Lucernae in Urbium natalibus accensae. 3.
Pisauri effossae. 71. 97.
In Aegyptiorum sacris. 112. 113.
Omnium pulcherrimae e museo direptae. 4.
Lustratio funebris. 71. 72.

M

M. Julii Philippi Augusti officina lucernaria. 6.
Festa ab ipso celebrata anno Urbis millenario. ibid.
Mala Punica Junoni tributa. 117.
Item Hecati. 110.
Manus consertae symbolum concordiae. 133.
Maximiani Herculei caput in lucerna. 42.
Metae in stadiis ex arborum truncis. VI.
Mimi tybiis canentes. 27.
Inducti in funeribus. ibid.
In deliciis magnatum. ibid.
Eorum spectacula in calamitatibus exhibita. 26.
Pulcherrima Mimi imago in museo Capponio, & Passerio. 27.
Mirmillones, eorumque habitus in lucerna. 12.

N

Navigium Isidis in lucerna Aegyptia. 111.
Neptuni trophaeum delphynes, & tridens. 122.
Nessus Deianiram rapiens. 134.
Nymphae fontium sub speciae gratiarum effictae. 127.
Nux pinea sepulchris cur addita. 83. 84.

Obe-

O

Obelisci in circis. 34.
Ollae in sepulchris. 78. 79.
Ova in circis, & eorum significatio. VI., & 34.
Ornandi capitis apud matronas usus varius. 92.
Orthus canis, & ejus significatio. 121. 122. 142.
Osiris in lucerna. 113.

P

Palladis simulacra fictilia pro locorum tutelis praefixa januis. 118.
Palma circensibus data. 36.
Quando victoribus dari coepta. 59.
Palmata toga ab Etruscis excepta. 44.
In sacello Jovis conservata. 44. 45.
Triumphalis diversa a consulari. 43. 44.
Papavera cur Cereri sacra. 119. 120.
Pavo quid significet in funeribus. 90. 91. 92.
Junonis symbolum. 117.
Peplum Deorum pallium. 42.
Pennae vulturis Isidi adjectae. 103.
Pisaurenses Pisaeorum coloni. V.
Eorum ludi patrii. ibid.
Pyra, & ejus forma. 82. 88. 89.
Podius in circo qualis. 36.
Pontificalia vasa in lucernis. 73. 74.
Praefericulum in funeribus. 80.
Primitiae Genio oblatae. 141.
Psyches fabula in lucernis. 128.
Pueri in spectaculis belluas configentes. 16.
Aliquando etiam pugiles. ibid.
Pugilum pugna expressa in lucerna. 29. 30.
Pugilli fictiles in antiquis Pisaurensium spectaculis adhibiti, & in sepulchro reperti. 30.

Q

Quadrigae quatuor quaternas factiones indicant. XXI. 35.
Naufragae in circis. 35. 36.

R

Roma pro Dea culta. 1.
Ejus templa plura. ibid.
Ejus templum in lucerna. 38.
Romulus, & Remus a Lupa lactati in lucerna nummis, & simulacris. 1. 2.

S

Sacelli in circis. 34.
Scabilli a joculatoribus adhibiti. 33.
Sedilia temporaria in stadiis excitata. IX. X. 17.
Sepulchra Pisauri recenter defossa. I., & 30.
Serapis quale numen, & unde adscitum. 93. 94. 95.
Modius cur illi additus. 95. 96.
Vascula ad lustrationes ipsum referentia. 96.
In serpentem desinens, & qua ratione. 99.
Throno insidens, & Cerberum mulcens. 104. 105.
Serpens Genii symbolum & qua de causa. 141. 142.
Sigilla fictilia Saturnalibus missitata. 125.
Simia joculatrix in cavea. 25.
Joci varii simiarum populo exhibiti. 26.
In pompis Isidis. ibid.
Simpula in sepulchris. 70. 77.
Speculum in venationibus adhibitum. 16. 17.
Sphynx, & ejus mithologia. 106. 107.
Animal Infernum. ibid.
Ejus simulacra Diis oblata. ibid.
Serapidi juncta. 99. 100.
Spicae Cereri attributae. 109.
Stadium apud Pisaurenses. IV., & seqq.
Ejus vestigia multipliciter indicata. ibid.
Novo Urbis muro inclusa. V.
Solis caput quinis radiis ornatum. 123.
Item duodenis. ibid.
Suggestus in circis. 36.
Suovetaurilia in funeribus. 81.

T

Tabellae fictiles anaglypticae. 121.
Tauri feroces in theatro a Thessalis confecti. 23.
Terra levis precata mortuis. 71.
Thensa in circis inducta. VIII.
Ejus imago in stadio Pisaurensi. ibid.
In lucerna. 52.
Unde dicta. 53.
Qui eam deducerent. 53. 55.
Multiplex in circo. 53.
Deorum, & Caesarum signa in iis circumvecta. ibid.
Et Deorum exuviae arcanae. 54. 55.
Supernae patulae. 55.
Palmis ornatae. 56.
Tigris Baccho sacra. 136.
Toga palmata, & ejus forma. 42.
Trabea consularis, & ejus forma, & successiva mutatio. 46. 47. 48.
Trophaea in circis exposita. VII.
Tutere inscriptum in Tudertium nummis nomen Urbis praesefert. 28.
Tybicinum habitus, & cultus. 24.
Typographicae artis initia, & successus, etiam apud antiquos.

V

Vasa aquae lustralis, cujus formae in lucernis. 71.
Sacrificialia, & funebria multiplicia in lucerna explicata. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81.
Serapidem referentia. 96.
Vehicula Vestalium, eorumque forma. 52.
Vela in theatro. 49.
Ventilatores Ludionum genus. 32.
Venus Cupidinem enixa. 124.
Vestalium vehicula. 52.
Vestes Christianorum Sacerdotum a magistratibus antiquorum imitatae. 43. 47. 50.
Victoria Romae globum offerens. 4.
Ejus comes. ibid.
Circensis in biga expressa. 41.
Quot modis figurata. ibid.
Ejus simulacrum primum in circum adductum. 41.
Vitriariae artis apud Pisaurenses argumenta, & conjecturae. III.
Vitrum coemeteriale prophanis imaginibus ornatum. 130. 131.
Vitta Baccho sacra. 139.
Urnae columnis impositae in circo. 11. 12. 39.
Earum usus. ibid.
Ursi joculatores. 20.
Vuae pensiles in lucerna. 134.
In Saturnalibus missitari solitae. ibid.



			Errata	*Corrige.*
Pag.	3.	lin. 12.	ſilente Lunam	ſilente Luna
	11.	l. 18.	convenirunt	conveniunt
	27.	l. penul.	aerum	aereum
	54.	l. 27.	Macrobiis	Macrobius
	55.	l. 25.	Putare.	Plutarch.
	62.	l. 5.	triumphandam	triumphandum
	105.	l. penul.	alluiſiſſe	alluſiſſe
	108.	l. 9.	Caliſiis	Chiſiis
	113.	l. 13.	parerent	pararent